UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lex Talionis XII. Tabvlarvm Cardinali Baronio Ab Isaaco Casavbono Dicta

Rosweyde, Heribert

Antverpiae, 1614

urn:nbn:de:hbz:466:1-10692

Visual Library

Th. 1370.

~~Ueber Aloysij Cuneus~~

F V
26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex Legato Celsi Principis Ferdinandi
Epi Paderb: et Monaster: de 1683

LEX TALIONIS XII. TABVLARVM CARDINALI BARONIO AB ISAACO CASAVBONO DICTA:

RETALIANTE HERIBERTO ROS-VVEYDO VLTRAIECTINO Societatis IESV Theologo.

Collegij Soctis Jesu Paderb:

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XIV.

Ferdinandi Furstenbergij

REVERENDISSIMO DOMINO NICOLAO ZOESIO SILVÆ-DVCIS EPISCOPO DESIGNATO.

QVO te fugientem persequar, OPTIME ZOESI? quibus te latebris abditum inuestigabo? An in siluis latitas cum Gregorio, in spelunca cum Chrysostomo, in insula cum Fulgentio, cum Cęsario in sepulcro? Quoquò fugeris, non effugies. Vel cęlestis columna ignis luce pro-

det ſuum Gregorium; vel cęlo vox miſſa ſuum loquetur Chryſoſtomum; vel relictâ Patarâ ſuum inueniet Myra NICOLAVM.

Vt primùm SVÆ CELSITVDINIS litteras antiſtitij nuntias accipis, tu cęlo lacrymas cum Auguſtino doloris tui internũtias mittis; ſęculum tibi apprecatorias mittit, tu cęlo deprecatorias ablegas. Dum litteras inſpicis, totus perhorreſcis, *ô infauſtas litteras! ô infauſtas litteras!* idemtidem exclamitans. Inde cubiculo clauſus, Deo teſte, te in omnem partem verſas, mentẽ explicas, animum ad examen vocas: nec aſſenſum tamen ab animo impetras. Mox in Aſpri-collem te recipis, ad Magnę DIVÆ conſulta; inde, quoquò vadas, vbicumque verſa-

versaris, sæpè te in recessum, in secretius aliquod cubiculum recipis, & terræ affusus, Deo supplex iaces. A teipso actuum tuorum rationem exigis, ne quid proximo, ne quid Deo, ne quid tibi debeas ipsi: quid ferre valeant, humeros libras. Forsan & D. Augustinus tibi nunc legitur, illa Africæ tuba, illud Ecclesiæ lumen, ille apex Episcoporum. Apud illum forsitan legis: *In quo loco sciebam non esse Episcopum; ne illò accederem, cauebam: & hoc agebam, quantum poteram, vt in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer.* Vel illud nunc tibi fortè in manibus, fortè in oculis: *Nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut*

August. serm. 1. de com. vitâ Cleric.

August. ep. 184.

Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vitâ & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.

Sed si rudimenta ritè posita sedulum tironem, si tirocinia sedulò obita strenuum militem, si bella strenuè bellata magnum ducem spondent; non est quòd multùm effugias, non est quòd diutiùs retractes. Recordare VENDEVILLII heri olim tui, in cuius curiâ, cùm adhuc togatus incederet, toge tabulas composuisti; in cuius Episco-

Episcopio, cùm iam infulâ clarus emineret, infulæ fimbrias aptasti. Hinc primũ ad SVARVM CELSITVDINVM Concilium magnum Mechlinienſe vocatus es, vt togæ luceres artibus. Quo in officio ita præſtitiſti, vt ingenio promptus, conſilio prouidus, humanitate ſingularis haberere. Nunc Siluæ-Ducenſis tibi Eccleſiæ defertur infula: quò tibi temporis fauet ſuffragium, laboris promouet meritum, probitatis documentum inuitat. Ita quod olim Boëtio Symmachus, quod Valerius Auguſtino; hoc vnus tibi VENDEVILLIVS fuit. Nempe quod Leuitis fuit naſci, hoc tibi imbui. Illos tabernaculo dabat natura, te altari parturiit diſciplina. Accedit, quòd

quotidianis meditationibus, ne silueſcat, mentem excolis; ne obtenebretur, illuſtras. Vt ſciens neſciens ex D. Gregorij præcepto hactenus vixeris; ex eius oraculo promoueaGregor. li. 7. ep. 110. ris: *Diu religiosâ meditatione poliatur, vt placeat; & ſic lucerna ſuper candelabrum poſita luceat, vt aduerſa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, ſed augeat.*

Nec ego nunc nouus, ſolemni ſæculi more, gratulator accedo, REVERENDISSIME ANTISTES: non infulam capiti pridem votam, non digito annulum diu debitum, non manui pedum iam olim aptum, gratulabor. Quis enim neſcit, quot ab infulis curæ pendeant; quot gemitus annuli

gemma

gemma tegat; quid moleſtiarum ſub argenteâ pedi bracteâ tinniat? Non igitur nouus nunc gratulator accedo, ſed BARONII Manes ab homine malè feriato inquietatos placo. Eos tibi à poſtumis aliquot calumniis expiatos nunc lubens meritò offero, vt qui olim Romæ BARONIVM, dum VENDEVILLII inhærens lateri, cum Sixto V. & cum Clemente VIII. de grauiſſimis Eccleſiæ negotiis ageres, viuum ſuſpexiſti, nunc mortuum deſpici minimè patiare.

Atque ego nunc quidem paucula è Caſauboni ſcriptis pro Baronio delibaui, quòd non ignorem Romæ eſſe, qui Romanum Cardinalem toto corpore ſint defenſuri. Quare ego nunc velut luſoria

nauis, leui cum armaturâ ad cursum expedita, in littore excubans præcurro. sequetur dein prætoria, omnibus suis armamentis instructa, quæ Tiberino soluet littore, & vasto se committens Oceano, aduersarij myoparonem profligabit. Sed & Gallia & Germania in partem venire gestiunt, vt ad nulla maria, ad nullos lacus, ad nullas insulas prædatoriæ huic effugium pateat.

Intereà PRÆSVL AMPLISSIME, ne dolorem tibi refricem, ne rursus, quas sæculum inter & cælum feciales dederas, eatur ad lacrymas, non tibi gratulabor. Gratulabor verò populo, gratulabor Senatui, gratulabor Siluę-Duci: & cum iis ex veteri formulâ

mulâ acclamabo: NICOLAVM habemus, OMNIA habemus. Antuerpię, VIII. Septembris, anno M. DC. XIV.

REVEREND^MAE D. V.

deuotus cliens

Heribertus Rosweydus.

PRÆFATIO AD BENEVOLVM LECTOREM, SIVE SCORPIACVM CONTRA CASAVBONVM.

ANNVS *iam agitur sextus, cùm de Belgicâ pace inter Regem Catholicum, & fœderatarum prouinciarum Ordines, adlaborantibus magnorum Regum Legatis, agi cœptum. Interceſſit tunc Plancius, è Caluini ſcholâ, inauſpicatas aliquot pagellas ſpargens, quibus nullam cum Pontificijs pacem iniri poſſe præſtruebat; quòd nulla de fide hæreticis ſeruandâ, ex Conſtantienſi decreto, apud eos religio eſſet. Eius rei non vnum exemplum à Pontificum Legatis*

gatis datum, sonare id Academiarum subsellia, & Iurisconsultos & Theologos eius esse sententiæ.

Ego tunc contrà Dissertationem typis Plantinianis dedi; docui, nihil à Constantiensi Concilio decretum, quod non fidei seruandæ, quod non promissis firmandis faceret. Docui, falsa Pontificum Legatis imponi, alienas Theologorũ scholis opiniones adscribi; vnius alteriúsve in iure potiùs humano quàm diuino consulti viri prædamnatã opinionem, non debere toti Christianitati imputari. Docui, cum Hussо ex lege Talionis, ad quam prouocauerat, actum. Nec id aliunde docui, quàm ex ipsiusmet Hussĩ testatissimis tabulis. Quòd si fidei non seruatæ exempla desideraret Plancius, suppetere ipsi domestica, ex VVittenbergensi, ex Gebennensi scholâ. Et iam quadriennio aduersarius mutit.

Intereà vernalibus Nundinis proximè elapsis prodit Isaacus Casaubonus, non iam de

de vnius Concilij Canone litẽ moturus, sed de totius Ecclesiæ antiquitate, ritu, moribus cum Baronio congressurus, Dares cum Entello, cum Hercule Pygmæus. Sed vt olim
Iosue 4. Iosue, cùm sacram illam Arcæ sarcinam sicco vestigio, per medium Iordanis alueum, suspensis hinc inde vorticibus, in campum Galgalæum extulisset; duodecim lapides è profundo fluminis alueo sublatos, peruij transitus testes, æternæ memoriæ consecrauit: ita Illustr^mus Cardinalis Baronius, cùm Dei Ecclesiam per persecutionum flu-
Apoc. 12. men, quod dirus ille draco è portis inferi vomit, turgentibus hinc inde nunc Ethnicorum vorticibus, nunc hæreticorũ procellis, nunc schismaticorum fluctibus, in apertum fidei campum intulisset; duodecim quoque Tomos velut duodecim lapides de antiquitatis abysso erutos, & in memoriam sempiternam diuinæ gloriæ, in Galgalis (aceruo acerui) Romanis archiuis, alterum super alterũ, aucto cumulo sublimes, collocauit. At quid agas?

agas? *Veriſſimè olim Sophocles:*

Ἐν παντὶ γάρ τε σκορπίος φυρεῖ λίθῳ. Sophocl. Captiu.

Sub omni lapide ſcorpius inſidiatur.

Profectò ſcorpius es, Caſaubone, ſcorpius es; quem magnum de modico malum, vt olim Africa, ità nunc Anglia ſuppurauit: tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & ſpecies; tot dolores, quot & colores, *vt rectiſſimè olim magnus Afer affirmauit. Siue enim tu ingenium in laudem Baronij explicas, ſeu amici ſpeciem præfers, ſeu ficto veritatis colore blandiris, ſcorpius es:* quia vnus omnium violentiæ geſtus de caudâ nocere. quæ cauda erit, quodcumq; de poſtumo corporis propagatur & verberat. Tertull. Scorp. contra Gnoſt. c. 1.

Vixit Baronius annis multis in Eccleſiaſticam hiſtoriam incumbens, ritus inquirens, doctos conſulens, non minùs diſcere quàm docere paratus. Si quis quidpiam ſuggereret,

gereret, beneficij ponebat loco; si quis errorem corrigeret, etiam gratiam referebat. Vbi tunc eras, Casaubone, qui tam benè, vt tibi persuades, de Cardinale mereri poteras? Latitabas scilicet, non ferens Solis istius radios. Nunc demum terræ filius prodis, cùm ille iam esse desiit. Rectè olim de te tuique similimis Gregorius: Si fortasse iustum quempiam tantæ iam virtutis inuenerint, vt ei loqui contraria non præsumant, quia subuersores esse nõ possunt, statim scorpiones fiunt. scorpio enim palpando incedit, caudâ ferit; nec mordet à facie, sed posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt omnes blandi & malitiosi, qui bonis quidem in faciem non resistunt, sed mox, vt recesserunt, derogant; alios, quos valuerint, inflammant; quæque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occulti non desinunt.

Gregor. in Ezech. homil. 9.

Vixisti

Vixisti hactenus, Casaubone, vixisti, in Laërtio spem bonæ litteraturæ promittens, in Strabone iam exhibens, in Dionysio, Polyæno, Suetonio, & Augustorum scriptoribus historicus, in Athenæo varius, in Theophrasto ethicus, in Persio Stoicus, in Theocrito & Apuleio criticus, in Polybio non malus interpres, in multis lapsus, in pluribus proficuus, noxius in paucis. Nunc verò ad extremam vitæ lineam deuergens, cùm & ætas, si quem concepisses liuorem, eum debuisset decoquere, in atram planè bilem omnis tibi sanguis vertitur. Totus incedis turbatus, ambitione flagrans, in SS. Patres iniurius, in Romanum Pontificem maledicus, in Baronium inuidus, in homines Societatis nostræ virulentus. Vtinam si non ex Euangelij, saltem ex Plinij, quem notulis aliquot illustrasti, monitu vitam composuisses! Me vt certus, *inquit*, siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum præsertim. Plin. lib. 3. ep. 1.

Nam iuuenes adhuc confusa quædam & quasi turbata non indecent; senibus placida omnia & ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est. *Vtinam Persianum versum, vbi tantopere te torques, & pænè solum te sapere existimas, meliùs ruminasses: &* maris expers sapere *potuisses: non vltra Oceanum fidem vel intulisses, vel inde extulisses. Nam quid ibi, præter Pontificis vestes, Pontificium inuenisti? Acutè olim Arnoldus ab Haersolte IC^tus Svvollensis, cùm Londini anno* M. D. LXXXIII. *versaretur, & forte fortunâ in Henricum Vvvenum, nunc Geldriæ Cancellarium amplissimum, incidisset, ex veteri studiorum consuetudine, vt fit, varia inter se cõferunt. Tum Vvvenus inter alia: Quid tibi videtur, inquit, de Ecclesiæ huius statu, de religionis habitu? Tum ille: Vis verbo dicam? Pontificem hinc eiecêre nudum, solis reseruatis vestibus. Vtinam igitur* maris

Pers. Sat. 6.

expers

expers sapere *potuisses! Habebas Parisiis, qui vnà cum vestibus, ipsum tibi Pontificem, ipsum Ecclesiæ lumen, ipsam Ecclesiam proponerent.*

An excidit tibi, Casaubone, quàm sæpè de fidei rebus controuersis cum Illmo Cardinale Perronio egeris, vt grauissimis eius conuictus disputationibus, fidem dederis fore, vt proximis feriis Pentecostes anno M. DC. X. *hæresim eiurares? sed execrandum Regis Christianissimi parricidium consilia tua interuertit. Cùm enim Caluinistæ sibi fingerent Bartholomæanas quotidie imminere Matutinas, & te ad Romanam fidem iam propensiorem viderent, auctores fuêre, vt inuitantem te Angliæ Regem inuiseres. Et vt faciliùs à Reginâ Christianissimâ missionem impetrares, præ te tulisti, auctorem te Regi futurum, vt ad mitiora in Catholicos consilia, ad religionem minùs seueram inclinaret.*

Nónne antequam in Angliam discede-

res, negotium dederas Georgio Strachano nobili Scoto, qui filium primogenitum Joannem Casaubonum Mathematicis artibus instruebat, vt occasione arreptâ in quotidianis lectionibus sensim ad religionem Catholicam amplectendam illum incitaret? Ille igitur (cùm appeteret Pentecostes festum, neque certi quidquam de te statueres) quòd timeret ne transmarinis artibus seduceretur, ante tuum è Galliâ discessum publicè Catholicam fidem professus est.

Nónne, cùm filij operâ vtereris in perquirendis Patrum locis, rectè à Bellarmino, perperàm à Plessæo ea citata centies offendisti? Nónne Ministri Molinæi librum aduersus Missam, adscriptis margini notis censoriis, refertum calumniis & imposturis damnasti? Quod vtrumque cùm filius animaduerteret, animum ad Catholicam fidem adiecit.

Meministin' quoties tibi vxor obiecerit, nimis te tergiuersari; se, si posset tam peritè

libros

libros Doctorum legere aut intelligere, nequaquam tamdiu deliberaturam? Quin ipse pseudopœmen Molinæus non semel tibi dixit, se, si ex lectione Patrum in eas se opiniones induisset, de Eucharistiâ, de Sanctis, & aliis eiusmodi, quarum veritatem agnoscebas, postridie Catholicum Romanum futurum. Usque adeò μέλλησιν tuam & incertam ὀπζήτησιν omnes mirabantur. Et erit nunc quispiam, qui ab animo tam desultorio stabilem fidem speret? qui ab animo tam deformato Ecclesiæ reformationem exspectet?

Equidem vbi primùm liber Casauboni prodiit, relictis tantisper PATRVM VITIS, *quas iam sub prælo sudantes habebam, ad eum me conuerti. Dum varia hinc inde lustro, statim deprehendi non minùs calamum, quàm animum desultantem. Et quia Baronium ad Legem Talionis prouocabat, dedi nunc* XII. *pro Baronio, pro Ecclesiâ, tabulas, centumuirales aliis relinquens.*

Nec mirabitur, scio, cur ego nunc Ecclesiæ Catholicæ filius pro matre pugnem, cùm ipse omnia sua Ecclesiæ Catholicæ iudicio submiserit. Nec ignorare potest, quanti olim priuatam meam monitionem fecerit, vt in postremâ Suetonij editione peruersam de λυχνοκαΐδων in Ecclesiam origine, clausulam omiserit. Nec enim ab Ethnicorum ritu, sed ab Iudæorum consuetudine cereorum & lampadum in templis vsus inualuit. Eodem quoque tempore monueram, impiè nimis in notis ad historiam Augustam, Hilarioni, consummatissimæ virtutis viro, magicas artes adscribi, cùm, quòd scyphi sui, quòd aquæ benedictæ beneficio victoriam Circensium spopondit Italico, ille hydromantiæ acceptum refert. de quo alibi fusiùs.

Quia verò Casaubonus ad legem Talionis prouocauit, ex Lege Talionis cum eo egi, nil grauius in eum, quàm ipse in Baronium, in alios statuit. Comparaui igitur vtriusque dicta, & de simili medicinam, de scorpio

scorpia-

ſcorpiacum feci. Solent enim, (*vt habetur apud diuum Auguſtinum*) Medici ægritudines aliquando curare per contraria, aliquando per ſimilia. Sic ſcorpionum carnes oleo coctæ percuſſionibus medentur ſcorpionum: ſic theriaca de ſerpentis carne confecta, morſibus ſerpentinis occurrit. Apud Auguſt. in append. diu. ſer. 75.

Sed iam Caſaubonum Talionis legem condentem, ne veteratoriè ſecum actum criminetur, audiamus.

Casaubonus Exerc. XV. *Cap.* II.

Lex Talionis.

FACINVS EST INDIGNVM
ANTIQVIS SCRIPTORIBVS
FALSAS AFFINGERE SENTENTIAS
QVOD
SINE CRASSÆ IGNORANTIÆ CVLPA
AVT FRAVDIS SVSPICIONE
FIERI
NEC SOLET NEC POTEST
LEGEM EAMDEM SANCIO
IN ME
QVAM IN ALIOS CVPIO LATAM
NEQVE RECVSO
QVIN SIT PER ME
TALIONI
LOCVS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AGNOSCISNE *legem, quam tute tibi Baronioque tuliſti, fixiſti? Non ego intercedam, non eam refigam. quin imò me poſtulante,* ZOESIO *Cos. auctore, in* XII. *Tabulas referatur.*

Sed quantò tu rectiùs feciſſes, Caſaubone, ſi domi tuæ Comici illud tecum retractaſſes?

Leges miſeræ ad parietem erant fixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimiò fuerat æquius. Plaut. Trin.

ſuſtinuiſſes à calamo manum, & FRAVDIS *fecundum pectus ad ſimplicis columbæ mores caſtigaſſes; craſſiſſimas* IGNORANTIAE *tuæ paludes vnius Eccleſiæ Sole ſiccaſſes: non Sacras litteras peruersè, non Patres irreuerenter, non hiſtoriam infidè tractaſſes.*

Quòd ſi quæ recta contra Baronium

adfers, sunt ferè scholica quædam nugalia, quibus ab omni æuo Grammatici arduis superciliis sese ostentarunt, vt ille olim, nescio quis, coram Phauorino Philosopho. Critici verò ad calumnias etiam abeunt; sine contumeliâ scribere non possunt: vt verissimè Scaliger dixerit: Ventosissima & futilissima omnium, qui litteras tractant, graculorum Criticorum natio; non solùm liberalium artium, sed etiam omnis ciuilitatis & humanitatis expers: nullum librum instituere potest, nisi eum à contumeliâ incipiat, & in contumeliâ terminet. *Diceres ex oraculo hæc verba profecta. Ita seipsum Scaliger, ita te quoque hoc tuo postremo contra Baronium opere descripsit.*

Gell. l. 4. c. 1.

Scal. Præfat. Isag.

Vt primùm amicus tuus, Bibliothecæ Palatinæ præfectus, in librum tuum oculos Francofurti coniecit: Periisti, Casaubone, periisti, *exclamauit: quòd facilè augurari posset fore, vt dum Criticus inaccessa profanis*

fanis ſacratioris litteraturæ adyta tentat ingredi, in præceps rueret. Et hunc non vanum fuiſſe augurem, tuo malo doctus ipſe dices. Equidem quicumque hoc vltimum tuum ſcriptum legerit, adeò te præſidentem animaduertet, & tam intrepidè de rebus Theologicis loquentem, atque ſi totâ vitâ tuà nullos alios quàm Theologiæ Scholaſticæ auctores tractaſſes. Sed ab omni æuo verum fuit: Multos eſſe thyrſigeros, paucos Bacchos. *Nunc Tabellaria tua conſulamus.*

INDEX

INDEX TABVLARVM.

TABVLA PRIMA.

A CHRISTO & per Christum salus omnis: nefanda hîc hæreticorum blasphemia, quam dissimulat Casaubonus. Scorpij instar primo aspectu blanditur Baronio Casaubonus, vt occultiùs feriat; sed innoxius omnis ictus: suo ipse puri immoritur scorpius. In Iobium & Euthymium iniurius Casaubonus. *Pag.* 1.

TABVLA II.

Insignita Casauboni calumnia, quâ asserit à Baronio Iosephum Lucæ prælatum. Planè contrait Baronius. Nouatores potiùs Iosephi historiam Lucæ Euangelio præferunt. Hæretici non Scripturas, sed suas venditant phantasias. *Pag.* 18.

TABV-

TABVLA III.

Hæmorrhoüiſæ ſtatua ad cultum Imaginum propugnata. Craſſa Caſauboni ignorantia, vel potiùs fraus, quaſi Baronius Damaſceni libros de Imaginibus, plenos mendaciis dixerit. Contrà planè dicit. Maximis eos laudibus, maiores ſecutus, effert. *Pag.* 33.

TABVLA IV.

Recta & curioſa Baronij obſeruatio de quibuſdam fontibus, anniuerſario die, quo nuptiæ celebratæ in Canâ Galilææ, vini ſapore fluentibus. Multiplex Caſauboni lapſus, nec Baronium, nec Plinium intelligentis. *Pag.* 45.

TABVLA V.

An Hieronymus à Romano Pontifice ducatum fidei petat, quia ipſe Preſbyter erat Romanus? Petit, quia Romę Cathedra Petri, quia Romæ fides Apoſtolico ore laudata, quia Romæ fides incorrupta. Varia Caſauboni errata, & ineptiæ Grammaticæ. Philoſophiæ eius inſigne ſpecimen. *Pag.* 62.

TABV-

TABVLA VI.

Mira Casauboni Dialectica, non distinguentis inter caussam efficientem, & finem. Crucis signo ab omni æuo virtus tributa. Thermæ Gadarenæ non in monte Gadaris, sed ad pedem montis. Baronius & Ortelius propugnantur. *Pag.* 86.

TABVLA VII.

Rectum Baronij iudicium de Pseudo-hieronymi libello de Natiuitate MARIAE etiam sine Erasmi subsidio. Christophorus de Castro à Casauboni calumniâ defensus. Leucius hæreticus non est auctor libri illius de Natiuitate MARIAE. Non vnus Casauboni hac in re error, ignorantia, fraus. Libri catacriani apud Spartianum qui? *Pag.* 103.

TABVLA VIII.

Non sine caussâ Baronius Publicanorum apud Ethnicos dignitatem ex Cicerone adduxit. Malè plagij accusatur.

tur. Plagiarius potiùs Casaubonus. Ineptè ex errore typographico iudicatur de Baronij imperitiâ in Hebraicis. Maiora in similibus peccat Casaubonus. Syriacæ voces etiam Hebraicæ dictæ. *Parisim* & parietis effractores, & publicani. Ruffini lectio explicata. An vrbs Capharnaum nomen sit nacta à fonte Capharnaum. An Capharnaum fontis, an villæ proximæ sit nomen. Arnobio, si fortè, lux. *Pag.* 129.

Tabvla ix.

Putida Casaubonianæ Grammaticæ contra Baronium disceptatio. Error varius Casauboni de momento conceptionis Christi. Diuinæ naturæ cum humanâ connubium, assensu Virginis firmatum. *Pag.* 152.

Tabvla x.

Solus Petrus inter Apostolos fidei nostræ fundamentum ac basis. Non tamen ideò fidei auctor. Hallucinatio noui Theologastri Casauboni, non distin-

distinguentis inter auctorem fidei & auctorem canonis fidei. *Pag.* 159.

Tabvla XI.

Sibyllarum oracula rectè olim à SS. Patribus ad fidei confirmationem allata. Non dubitauêre de iis limatioris iudicij Catholici. Falsum glossema Augustino appictũ à Casaubono. *Pag.* 177

Tabvla XII.

Insigne Casauboni flagitium, vitiosas vel mendaces membranas citantis, ad perfidiam inurendam Personio. Eadgari Anglorum Regis in populum amor, in Clerum pietas. Eiusdem pœnitentia illustris, & in Episcopum obseruantia. Item alterius Comitis. Non conuocatum in Angliâ Concilium sine Pontificis & Episcopi auctoritate. *Pag.* 193.

LEX

LEX TALIONIS XII. TABVLARVM CARDINALI BARONIO AB ISAACO CASAVBONO DICTA.

TABVLA I.

A Christo & per Christum salus omnis: nefanda hîc hæreticorum blasphemia, quam dissimulat Casaubonus. Scorpij instar primo aspectu blanditur Baronio Casaubonus, vt occultiùs feriat; sed innoxius omnis ictus: suo ipse puri immoritur scorpius. In Jobium & Euthymium iniurius Casaubonus.

CASAVBONVS. Verissimum est, quod initio Apparatus sui scribit illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius, ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam *Exerc.* 1. *cap.* 1.

salutem esse consecutum, nisi à CHRISTO, & per CHRISTVM: posseque non immeritò eâ ratione Christianos dici illos omnes, qui etiam ante Christi aduentum & ἐνσάρκωσιν, vel in populo Dei, vel apud Gentes facti sunt salutis participes.

ROSVVEYDVS. Ergo à VERITATE, ergo à CHRISTO ipso Annales suos auspicatur Cæsar Baronius, vel teipso teste. Sanè quot ille Tomos, vt iam in præfatione dixi, in Ecclesiam Dei intulit, tot ille lapidibus, omni Termino immobilioribus, Ecclesiæ latifundia circumscripsit. Sed vt verè olim Aristophanes:

Aristoph. Θεσμοφ.

Τὴν παρῳμίαν δ' ἐπαινῶ
Τὴν παλαιάν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ
Παντί πᾳ χρὴ, μὴ δάκῃ ῥήτωρ, αἰθρεῖν.
Sermo mî vetus probatur:
Nam docet lapide sub omni,
Mordeat ne Rhetor, obseruare.

ita hodieque verum est, quòd nunc vt Rhetor, nunc vt Grammaticus, Baronianos Terminos admordet Casaubonus; scorpij instar blandiens facie, vt verba nunc sonant; sed caudæ flagello venenum, vt mox videbimus, intimans. Rectissimè olim Magnus Gregorius: *Scorpiones sunt, qui blandi & innoxij in facie videntur, sed post dorsum portant, vnde venenum fundant. Qui enim in occulto*

Gregor. Homil. 9. in Ezech.

culto feriunt, mortem latenter trahunt. Veriſſima igitur Baronij vel hoſte adſtipulante ſententia; quòd à CHRISTO, & per CHRISTVM ſalus omnis.

CASAVBONVS. Huius veritatis demonſtratio è Sacris litteris adeò facilis eſt & certa, vt paucos hodie putem eſſe Chriſtianos, qui eâ ſuper re dubitent. Nam quòd Magnus Eraſmus, Ludouicus Viues vir doctiſſimus, & nonnemo etiam è Proteſtantibus, cum primis verò atque omnium animoſiſſimè Andradius Luſitanus, aliter aliquando pronuntiarunt, & perſuadere aliis ſunt conati; exploſa eſt dudum ea ſententia, & à doctiſſimis vtriuſque partis Theologis, veris & ſolidis argumentis confutata.

ROSVVEYDVS. Quòd Eraſmum Magnum aſſeris, næ ille maior fuiſſet, ſi minor eſſe voluiſſet, vt de eo verè edixit olim Iulius Scaliger. Fuerit ſanè magnus, dum ſepultas excitat Græcas litteras, dum fugitiuum iam humanitatis ſtudium velut fugientem ſeruum nouus Stator ſiſtit, & è fugâ retrahit, dum rubiginem, quam multorum ſæculorum vitio auctores plerique profani contraxerant, pro virili conatus eſt detergere. At verò vbi ille ſcholia ſua in Sacras litteras, in Auctores ſacros inferre voluit, ſæpè pro ſcholiis ſcorias intulit. Eraſmum ſe-

Iul. Scal. l. 7. Poëtices.

cutus est Ludouicus Viues, Scaurus Varum. Superbissimum est sanè criticũ supercilium, quod non litteris Sacris auctoritatem, non Patribus nouit venerationem commodare. Et licet tu nunc, Casaubone, è portu soluens, eum littoralem scopulum vites, in quem vterque litterator impegit; vbi tamen altiùs in hoc mare Ecclesiasticum inueheris, in tot latentia inusitatarum opinionum breuia, in tot eminentes ambitionis scopulos, in tot elatrantes vanitatis Scyllas, in tot voraginosas falsitatis Charybdes incurris, vt nullus naufragus plura vota Neptuno (nam Sanctis dicanda abnuitis) quàm tute tot infamis naufragiis, vmquam debuerit.

Sed quis ille *nonnemo*? quis? Hîc verò luculenta sese offerebat occasio, excandescentiam tuam, quâ efflictim flagras, exerendi, si tanta te Sacramẽtariorum quorumdam vanas opiniones, quanta Catholicorum veras sententias exagitandi prurigo incessisset. Verùm hoc *nonneminis* velo obtegis blasphemam Sacramentariorum cateruam, Zvvinglium, Lauatherum, Hardembergium, Danielem Tossanum, Tammerum, Rodolphum Gualterum, alios; qui falsos Ethnicorum deos, qui sacrilegos pontifices, qui impios crudelesque duces, sine fide, sine Christo cælo intulerunt. Non te apud Zvvinglium

glium legisse memineras, hæc eius ad Franciscum Primum Galliarum Regem Christianissimum verba? *In vitâ æternâ visurus es Herculem, Theseum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones.* vt festiuè olim Vitus VVinshemius in suis VVittembergæ prælectionibus discipulos suos monuerit: *Optimi studiosi, cauete vobis à cælo Zwinglianorum, quia in eo collocant Herculem cum clauâ suâ. Valdè enim mihi metuerem à clauâ Herculis.* Quam blasphemam Sacramentariorum assertionem Franciscus Feuardentius, è D. Francisci familiâ egregius in agone Theomachorum pugil, iampridem profligauit.

Zvvinglius in confess. fidei suæ.

Apud Schlusselb. lib. 3. de Theolog. Caluin. art. 7.

Feuardēt. Theomac. Caluin. lib. 14. c. 6.

Atque hæc quidem partim Critici, præposterâ erga Philosophos, Poëtas, & Oratores pietate; ne eorum videlicet in cælo carerent consortio, quorum scriptis hîc in terrâ fuerant delectati: partim hæretici, omnia audentes, veritatem interpolantes, Scripturas adulterantes, arrogato sibi Dei iudicio sensêre. Nam Erasmus quidem nominatim inter cælites locum non tam optat quàm aptat Socrati, Virgilio, Horatio, Ciceroni. Ludouicus verò Viues, iis etiam gentibus, qui nunc in remotissimis Oceani terris sine Christo viuunt, salutem impertit, quòd iis sua conscientia lex sit, modò Deum, modò proximum diligant. Quem errorem accu-

Erasmus coll. Cōu. Religios. & ep. dedic. in qq. Tusc. Cic.

Viues in l. 18. c. 47. Auguſt. de Ciuit. Dei.

rata Theologorum Louanienſium cenſura, in eius ad libros D. Auguſtini de Ciuitate Dei commentariis meritò expunxit. Quàm parua verò hæreticorum hac in re prodigioſa & ſacrilega fingentium habenda ſit ratio, iam dixi.

Quod verò de Andradio Luſitano additur, viro longè doctiſſimo, qui ad Concilium Tridentinum & profundiſſimi Theologi mentem, & linguam eloquentiſſimi Oratoris attulit, id verò ſatis mirari non potui. Sed dum libros Orthodoxarum explicationum luſtro, qui Dieghi Payua Andradij nomine olim prodiére (nullum tu quidem librum eius citas) omnino contrarium reperio. Ita enim ille libro III. ad VI. axioma Coloniẽſium à Kemnitio reprehenſum, cùm ſplendidiſſima tria veteris Eccleſiæ lumina, Iuſtinum ſcilicet Martyrem clariſſimum, Clementem Alexandrinum, & Epiphanium, quòd Chriſtiani etiam in lege naturæ & inter Gentiles fuerint aſſerentes, defendit & interpretatur: *Fuiſſe quidem* CHRISTI *cognitionem omnibus antè ſæculis ad ſalutem neceſſariam, quamuis obſcuram & inuolutam, fateor.* Et tamen audes Andradium, Theologum Catholicum, Philologis litteras humaniores rimantibus, hæreticis errores ructantibus accenſere, quaſi

Dieghus Payua Andradius lib. 3. Orthod. explic.

paria

paria cum iis senserit, quasi quemquam sine Christo salutem velit consecutum?

CASAVBONVS. Sed quòd addit Baronius, apud veteres quoque Patres omnes semper hoc fuisse in confesso: id verò si accipiatur simpliciter & sine exceptione, an satis certum sit, equidem vehementer addubito.

ROSVVEYDVS. Viden' vt caudam sensim trahere, velut adhuc blandiens; vt aculeum occultare, quò certiùs feriat; vt venenum quasi timidus insorbere, quò letaliùs perimat, incipiat scorpius? Dixerat Baronius, & verissimè dixerat, quòd *in confesso sit apud omnes Patres, quotquot vmquam fuerunt ab exordio mundi, non nisi à* CHRISTO, *& per* CHRISTVM *salutem consecutos.* Nam quæ Casaubonus in speciem contraria ex Chrysostomo, Iustino, Clemente adfert, iam antè fuêre à Catholicis scriptoribus animaduersa & explicata. Vnus Sixtus Senensis, quem meritissimò subinde laudat, & cuius hic arculas compilauit, abundè satisfecit lib. VI. Bibliothecæ sanctæ Annot. LI. A quo videri etiam potest Casaubonus in Scholasticorum adyta introductus, cùm de fide *explicitâ* & *implicitâ* obiter meminit. Quis enim non miretur Casaubonum, qui numquam veræ Theologiæ scholam ne à limine quidem salutauit, qui numquam ad

Baron. Appar. n. 1.

portam ſuſpirauit, qui non myſta, non initiatus vmquam fuit; tam derepentè epoptam, arcanorum inſpectorem factum? Sed portat ille videlicet, vt olim aſinus in Eleuſiniis, myſteria, quæ illi Sixtus Senenſis, quæ illi Doctor aliquis Scholaſticus impoſuit; vt verè dicere cum Ariſtophanico illo poſſit:

Ariſtoph. in Ran.

Νὴ τὸν Δί' ἐγὼγ' ὄνος ἄγων μυϛήρια.

Ita per Iouem ſum aſinus vehens myſteria.

Illud verò mirari non mediocriter ſubit, quòd Baronij aſſertionem dum labefactare conatur, ea Patrum loca adducit, quæ vel ipſe collatis aliis eorumdem Patrum locis interpretatur, vel benignam iis mentem tribuit, vt nullus non caput hoc primum Exercitationum legens, nodum eum in ſcirpo quæſiſſe ſit affirmaturus. Certè vt ſcorpius ſeipſum caudâ ſuâ flagellans, puri ſuo immoritur.

CASAVBONVS. Cùm Iobius, ſcriptor antiquus & eruditus, cauſſam affert, cur humanam naturam Filius aſſumpſerit, nõ Pater, aut Spiritus ſanctus: quia Filius ſit ὁ ΛΟΓΟΣ, quem homo cùm amiſiſſet, ait, neceſſarium fuit ad ſanandam ΑΛΟΓΙΑΝ τὸν ΛΟΓΟΝ in terras venire; parum abeſt, quin ludere illum potiùs in re grauiſſimâ exiſtimem, quàm ſerium Theologum agere.

ROSVVEYDVS. Hîc verò non iam in Baro-

Baronium caudam vibrat, ſpiculum hamatile ſtringit, venenum ſtillat ſcorpius: ſed Patrum venerandam inuadit canitiem, eorum inſidiatur calcaneo; eos docens, à quibus diſcere; eos lædens, quos laudare debuerat. Quid enim Iobius, elegans apud Photium ſcriptor, de arcanâ illâ Chriſti œconomiâ prodidit, quod non antè & pòſt alij Patres, quod non ipſa Theologorum ſchola, quod non ſcholæ illius decus D. Thomas, quod non omnes docti vel prodidêre, vel approbauêre. Audiamus peraccommodam Iobij rationem de Verbi œconomiâ; cur Filius, non verò Pater, non Spiritus ſanctus, ad aſſerendum in libertatem priſtinam humanum genus, carne ſeſe induerit. Ὅτι ἐπειδὴ ΛΟΓΟΣ ὁ Υἱὸς, ὁ δὲ ἄνθρωπος ΛΟΓΩι καὶ εἰκόνι Θεοῦ τιμηθεὶς, τούτων τε διαπέπτωκε, καὶ παρασυνεβλήθη τοῖς κτήνεσι τοῖς ἀνοήτοις, καὶ ὡμοιώθη αὐτοῖς· διὰ τοῦτο ὁ ΛΟΓΟΣ τοῖς εἰς ΑΛΟΓΙΑΝ πεσοῦσιν ἐπεδήμησεν· τό, τε ὀλίσθημα ἡμῶν ἐξιώμενος, καὶ πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἀνέλκων ἀξίωμα. ὁ ΛΟΓΟΣ γάρ, φησι, σὰρξ ἐγένετο, τουτέστι, τὴν εἰς ΑΛΟΓΙΑΝ καταπεσοῦσαν φύσιν ἡμῶν, καὶ μηδὲν πρὸς τὸ νοερὸν, ὅλην δὲ πρὸς τὸ σαρκικὸν ἀπονεύσασαν, ἀνελάβετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. *Quando Filius* RATIO *eſt, & homo* RATIONE *atque imagine Dei olim cohoneſtatus, hiſce poſteà excidit, comparatusq́; eſt iumentis* Iobius l. 1. Oecon. apud Photium cod. 222. Pſal. 48.

insipientibus, & similis factus est ipsis: propterea nimirum RATIO *ad eos, qui in* IRRATIONABILITATEM *lapsi erant, accessit, ruinam nostram reparans, ac nos in pristinam dignitatem postliminiò reuocans.* RATIO *enim, inquit, seu Verbum caro factum est (id est naturam nostram in* IRRATIONABILITATEM *prolapsam, & nihil iam intelligentiæ habentem, sed totam ad ea quæ carnis sunt inclinatam, assumpsit,) & habitauit in nobis.*

Ioan. 1.

Quid his verbis non serium, quid non Theologum sapiens, quid non aliis Patribus assertum, quid non Scholasticis, hoc est, iis viris, qui Patrum aurea numismata, qui hæreticorum subæratos nummos ad Sacrarum litterarum probant obrussam, ad rationis expendunt trutinam; quid, inquam, non Scholasticis vsitatum, his verbis est reperire? Nolo Iobio seriò hæc asserenti, nolo mihi pro Iobio seriò quoque pugnanti fidem adhibeas, nisi Patres ipsos Græciâ, Latio celebres, nisi D. Thomam Scholasticorum coryphæum eadem asserentem produxero. Quid igitur Græci Patres?

Athanas. in dictum Matth. 11. *Omnia mihi tradita.*

Athanasius Episcopus Alexandrinus in hoc dictum Matth. XI. *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* Θεὸς φιλάνθρωπος ὤν, καὶ μὴ θέλων ἀπολέσθαι τὸν κατ' εἰκόνα ἄνθρωπον, ἔλεγεν· Τίνα ἀποστελῶ; καὶ τίς πορεύσεται; πάντων τε σωτῶν-

των,

των, ὁ Υἱὸς ἔλεγεν, Ἰδοὺ ἐγὼ, ἀπόστειλόν με. καὶ δὴ τό τε λέγων, Βάδιζε, παρέδωκεν αὐτῷ τὸν ἄνθρωπον, ἵνα γένηται αὐτὸς ὁ Λόγος σὰρξ, καὶ παραλαβὼν τὴν σάρκα, κατὰ πάντα διορθώσηται. παρεδόθη γὰρ αὐτῷ, ὡς ἰατρῷ, θεραπεῦσαι τὸ δείγμα τοῦ ὄφεως· ὡς ζωῇ, ἀνεγεῖραι τὸ νεκρὸν· ὡς φωτὶ, καταυγάσαι τὸ σκότος· καὶ ΛΟΓΩι ὄντι, ἀνακαινίσαι τὸ ΛΟΓΙΚΟΝ. ὡς γοῦν παρεδόθη αὐτῷ τὰ πάντα, καὶ γέγονεν ἄνθρωπος, εὐθὺς διορθώθη καὶ ἐτελειώθη τὰ ὅλα. *Deus hominum amator, ac nolens perire hominem ad suam imaginem conditum, in hæc verba locutus est: Quem emittam? & quis proficiscetur? Omnibus obticentibus, locutus est Filius: Ecce ego, emitte me. Quo tempore illi respondit Pater: Vade ergo. Tum, inquam, dedit illi hominem, vt ipsum Verbum caro fieret, carnemq; assumptam in omnibus instauraret. Traditæ enim sunt illi vt medico, qui sanaret morsum serpentis: & vt vitæ, quâ excitaret mortuum: & vt luci, quò illuminaret tenebras: & vt* RATIONI, *quò redintegraret* VIM RATIONALEM. *Postquam igitur tradita sunt illi omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia & perfecta.* Etiámne hîc Casaubonus Athanasium ludere, eum etiam non serium Theologum agere affirmabit, paria Iobio prodentem?

Atque hinc illa apud tot Patres Incarnationis ratio asseritur, vt diuinæ mentis rationis

nis beneficio imago, quæ homini ab ortu impressa, peccati fuligine iam erat oblitterata, rursus ad Patris imaginem, quę Filius fuit, repararetur.

Clem. Alex. in Protrept.

Clemens Alexandrinus in fine Protreptici: Τοῦτο Υἱὸς, τοῦτο Χριστὸς, τοῦτο ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, βραχίων Κυρίου, δυνάμις τοῦ ὅλων, τὸ θέλημα τοῦ Πατρός. ὧν πάλαι μὲν εἰκόνες, οὐ πᾶσαι δὲ εὐμφερεῖς. διορθώσασθαι ὑμᾶς πρὸς τὸ ἀρχέτυπον βούλομαι, ἵνα μοὶ καὶ ὅμοιοι γένησθε. χρίσω ὑμᾶς τῷ πίστεως ἀλείμματι, δι' οὗ τὸν φθορὰν ἀποβάλλετε· καὶ γυμνὸν δικαιοσύνης ὑπδείξω τὸ σχῆμα, δι' οὗ πρὸς τὸν Θεὸν ἀναβαίνετε. *Hoc Filius, hoc Christus, hoc Verbum Dei, brachium Domini, potestas vniuersorum, voluntas Patris. Quorum olim imagines, sed non omnes similes. Volo vos corrigere ad exemplar, vt sitis mihi quoque similes. Vngam vos vnguento fidei, per quod interitum exuistis & corruptionem: & iustitiæ nudam ostendam figuram, per quam ad Deum ascenditis.*

Athan. de Incarnat. Verbi, seu corp. ad nos adu.

Clariùs Athanasius libro de Incarnatione Verbi, & corporali eius ad nos aduentu: Ὡς γὰρ ὁ γραφεὶς ἐν ξύλῳ μορφῆς οὐκ ἀφανισθεὶς ἐκ τοῦ ἔξωθεν ῥύπου, πάλιν χρεία τοῦτον οὐκ ἀγνόει ὃς καὶ ἔστιν ἡ μορφὴ, ἵνα ἀνακαινισθῶσι εἰκὼν δυνηθῇ ἐν τῇ αὐτῇ ὕλῃ· διὰ γὰρ τοῦ ἐκείνου γραφοῦ καὶ αὐτὴ ἡ ὕλη, ἐν ᾗ καὶ γέγραπται οὐκ ἐκβάλλει, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ἀνατυποῖ· καὶ τοῦτο δὲ ὁ παν-

πανάγιος τοῦ Πατρὸς Υἱὸς, εἰκὼν ὢν τοῦ Πατρὸς, παρεγένετο ἐπὶ τοὺς ἡμετέρων τόπους· ἵνα τὸν κατ' αὐτὸν πεποιημένον ἄνθρωπον ἀνακαινίσῃ, καὶ ὡς ἀπολόμενον εὕρῃ διὰ τῆς τῶν ἁμαρτιῶν ἀφέσεως. *Vt enim forma aliqua in tabulis depicta, sordibusq; aliunde superiniectis oblitterata, instaurari nequit, nisi eius præsentia adhibeatur, ad cuius speciem primitus tabula depicta fuit: illius enim honori datur, cur materia, quæ eius imaginem semel susceperat, non abijciatur, sed de integro interpoletur: eodem modo vndecumq; ille bonus Patris Filius, imago & character Patris, ad regiones nostras profectus est, vt hominem ad sui similitudinem factum denuò reficeret, & perditum condonatione peccatorum recuperaret.*

Idem de Incarnatione Verbi contra Paulum Samosatenum: Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ Λόγος, δημιουργὸς ὢν τῶν ἁπάντων, πρὸς ὁμοιότητα τὴν ἐξ αὐτοῦ κτίσας τὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀρχῆς, εἰς ὁμοίωσιν τὴν πρὸς αὐτὸν ἐπανάγει πάλιν, ὁμοιωθεὶς τῷ ἰδίῳ ποιήματι. *Verbum Dei opifex omnium, & ab eo ad ipsius similitudinem ab initio homo creatus est, hominemq; rursus ad sui similitudinem restituit, ipseq; creator similis factus est suæ creaturæ.* Idem contra Paul. Samosat.

Ambrosius in Psalmum CXVIII. octonario X. *Habes in tuâ substantiâ aliquid de imagine & similitudine Dei, quod sit diuinæ simile* Ambr. in Psal. 118.

mile imagini. Propterea imago ad eum, qui
Ezech. 34. *est ad imaginem, venit, & quærit imago eum,*
qui est ad similitudinem sui, vt iterùm si-
gnet, vt iterùm conformet, quia amisisti quod
accepisti.

Cyril Alex. lib. 1. c. 13. in Ioan. Cyrillus Alexandrinus libro I. in Ioannem cap. XIII. *Non erat possibile aliter terrestris imaginem hominis, corruptionem scilicet, quam peccando induimus, effugere; nisi cælestis hominis imago & eius pulchritudo, vocatione adoptionis, nobis impressa esset. Participes enim ipsius facti per Spiritum, & suo signati sigillo, ad similitudinem eius, & in primitiuam imaginis figuram conscendimus, ad quam fuisse*
Gen. 1. *creatos diuina Scriptura testatur. Sic enim tandem priscam naturæ pulchritudinem recuperantes, & ad diuinam illam naturam conformati, ea mala superabimus, quæ maxima transgressionis vitio nobis acciderunt.*

Ioan. Damasc l. 4. c. 4. de fid. Orth. Ioannes Damascenus libro IV. de fide Orthodoxâ, cap. IV. Ἐνανθρώπησε δὲ ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἵν' ἐφ' ᾧπερ ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον, πάλιν αὐτῷ χαρίσηται. ἐποίησε γὰρ αὐτὸν κατ' εἰκόνα ἑαυτοῦ, νοερόν, καὶ αὐτεξούσιον, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, ἤτοι ἐν ἀρεταῖς τέλειον, ὡς ἐφικτὸν ἀνθρώπῳ φύσει. Et: Ἐν κοινωνίᾳ μὲν οὖν ἑαυτοῦ καταστήσας τὸν ἄνθρωπον (ἐπ' ἀφθαρσίᾳ γὰρ τοῦτον ἐποίησε) διὰ τὴν ἑαυτοῦ κοινωνίας, ἀπήγαγεν αὐτὸν πρὸς τὸ ἄφθαρτον. ἐπειδὴ δὲ διὰ τὴν παραβάσεως τῆς ἐντολῆς, τοὺς τῆς θείας

εἰκό-

εἰκόνος χαρακτῆρας ἐζοφώσαμεν τε καὶ συνεχέαμεν, & ἐν κακίᾳ γεγόμενοι, τῆς θείας κοινωνίας ἐγυμνώθημεν (τίς γὰρ μετουσία φωτὶ πρὸς σκότος;) & ἔξω τῆς ζωῆς γεγόμενοι, τῇ τοῦ θανάτου φθορᾷ ὑπεπέσομεν, ἐπειδὴ μετέδωκε τοῦ κρείττονος, καὶ οὐκ ἐφυλάξαμεν, μεταλαμβάνῃ τοῦ χείρονος, τουτέστι τῆς ἡμετέρας λέγω φύσεως, ἵνα δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν ἑαυτῷ ἀναπαινίσῃ μὲν τὸ κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν. 1.Cor.6.

Hanc porrò humanitatis assumendæ caussam Filius Dei habuit, vt id rursus homini beneficium adferret, cuius caussâ eum in principio cõdiderat. Siquidem eum ad imaginem suam, hoc est, intelligentiâ arbitriq; libertate præditum effinxerat; atque ad similitudinem suam, id est, in omni virtutum genere perfectum & absolutum, quantum quidem consequi datum est humanæ naturæ. Et: *Quocircà cùm hominem in eo statu collocasset, vt seipsi communicaret (etenim immortalitatis ergô eum condiderat) per sui communicationem ad immortalitatem eum subuehebat. Quoniam autem per mandati transgressionem imaginis diuinæ notas obscurauimus ac deleuimus, atque in vitium prouoluti diuinâ communicatione orbati sumus (quæ enim societas luci cum tenebris?) atque à vitâ exclusi in mortis corruptionem incidimus; quoniam, inquam, id quod præstantius erat, quodq; nobis impertiuerat, minimè custodiuimus, idcircò eius, quod deterius est, hoc est,* 1.Cor.6.

natu-

naturæ nostræ particeps ipse efficitur, vt per se & in se imaginis ac similitudinis decus instauret.

D.Th.l.4. contr.Gēt. c.42. D. Thomas libro IV. contra Gentes, capite XLII. *Affinitas quædam videtur, maximè Verbi ad humanam naturam: homo enim speciem propriam sortitur, secundùm quod rationalis est: Verbum autem rationi affine est: vnde apud Græcos, λόγος verbum & ratio dicitur. Conuenientissimè igitur Verbum rationali naturæ vnitum est: nam & propter affinitatem prædictam diuina Scriptura nomen imaginis & Verbo attribuit & homini: dicit enim* Coloss.1. *Apostolus ad Coloss.* I. *de Verbo, quòd est inuisibilis imago Dei. & idem de homine dicit* 1.Cor.12. 1. *Cor.* XI. *quòd vir est imago Dei.* Similia habet idem Angelicus Doctor III. parte q. III. art. VIII. & cum eo tota Scholasticorũ natio.

Quis nunc tot Patres ludere, quis non serios Theologos agere affirmabit? Profectò si quis hîc Patrum lusus, si quæ iocularia dicta, luserit quoque iocatusque fuerit D. Paulus, cùm & Filium *imaginem* Dei, & hominem seu virum *imaginem Dei* asseuerat. Sed apage hanc impietatem. Rectè igitur Iobius, rectè alij Patres, rectè Scholastici, cur Filius, ratio & imago Patris, humanam naturam instaurarit, ex rationis participatu, ex imaginis adumbratione inuestigarunt.

CASAV-

CASAVBONVS. Euthymius quoq; Zygabenus, cùm ad Euangelium Matth. IX. 13. quare non venerit Christus ad vocandos iustos, rationem attulit hanc, *quia iusti ipsi sibi ad salutem sufficiebant*: nisi hæc illi verba exciderunt aliud agenti, & aliter sentienti, quàm sit parum firma superior illa Baronij asseueratio, luculentè palàm faciunt.

ROSVVEYDVS. Hic verò luculentè suam inscitiam prodit Casaubonus, & falsam Euthymio mentem, & Baronio vmbratile figmentum obiiciens. Quid? censuerítne Euthymius, cùm iam Christus mundo illuxisset, cùm iam fidei radios quaquauersum diffunderet, etiam tum homines fuisse, qui sine fide in Christum salui esse potuerint? Insignis ea in virum religiosum, in diligentem Sacrarum litterarum interpretem, in Theologum eruditum calumnia est. Quòd nisi Casaubonum ardens, vel in speciem aliquid Baronio in vestibulo obiiciendi, desiderium abripuisset, potuisset meliorem mentem Euthymio tribuere. Et licet Pelagij hîc aliquas reliquias in Euthymio agnoscat Maldonatus; verius tamen æstimo, nil aliud voluisse Euthymium, quàm peccatoribus opus esse nouis & inusitatis gratiæ auxiliis, vt resurgant: cùm iusti eo, quod iampridem consecuti sunt, gratiæ ad-

iumento sibi sufficiant; id est, non indigeant primâ gratiâ, quâ resurgant, cùm eam iam possideãt, & per eam iam resurrexerint. Nec enim iustum sine gratiæ auxilio progredi posse, ipse Euthymius alibi testatur: nam in Psalmum xxxvi. versu isto, *A Domino gressus hominis dirigentur*, ita commentatur:

Euthym. in Psalm. 36.

Manifestè docet, quòd absque diuino auxilio homo per se nullum potest bonum operari. Nisi enim, inquit, Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Promptitudini autem nostræ cooperari solet: hominem autem hîc iustum intelligit.

TABVLA II.

Insignita Casauboni calumnia, quâ asserit à Baronio Iosephum Lucæ prælatum. Planè contrait Baronius. Nouatores potiùs Iosephi historiam Lucæ Euangelio præferunt. Hæretici non Scripturas, sed suas venditant phantasias.

Exerc. 1. cap. 28.

Apparat. n. 80.

CASAVBONVS. Nimium Iosepho tribuit Baronius, cùm aliud agens sic loquitur: *Iosephum in his, quæ ad tempus spectant, Lucæ contradicere certum est; vsque adeò, vt illius assertione historiam, à Lucâ conscri-*

scriptam, in dubium reuocari sit necesse. Quid audio? propter Iosephum vacillabit diuinorum oraculorum fides?

Ἄτα γέεγν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; nefas dictu: nefas cogitatu. Esto, repugnet verbo Dei Iosephus, repugnent alij scriptores vniuersi: ipse, si lubet, aut potest, mundus totus consentiens contradicat: ipsum tamen per se ἀωτόπτον labefactari aut in periculum vocari non debet, non potest: non certè apud homines sobrios, & cognitione cælestis veritatis vel leuissimè imbutos.

ROSVVEYDVS. Potuit grauior, potuit atrocior calumnia inuri Baronio? Illéne Iosephum præferat Lucæ? Adeste, quotquot estis leges calumniæ, quotquot falsi vindices, tu Rhemnia de calumniâ, tu de falso Cornelia. Sed quia legem Talionis ipse sibi calumniator, ipse indixit falsarius, in eâ sistamus. Videamus quem hîc, vt ipse quidem scisçit, CRASSA liget IGNORANTIA, quem FRAVDIS SVSPICIO captiuum ducat, Baroniúmne an Casaubonum? Ecce Baronij verba:

„ His enarratis mox subdit Euangelista: Baron. in Appar. n. 80. Luc. 2.
„ *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum*
„ *à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus*
„ *orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside*
„ *Syriæ Cyrino: & ibant omnes, vt profiterentur,*

singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & " *Ioseph à Galilæâ de ciuitate Nazareth in Iu-* " *dæam, in ciuitatem Dauid, quæ erat Bethle-* " *hem, eò quòd esset de domo & familiâ Dauid,* " *vt profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi* " *vxore prægnante.* Hæc Lucas. At quoniam, " etsi nõ interpretis, historiographi certè fun- " gimur munere; nostri esse putamus officij, vt " hæc ipsa multis perplexa nodis & obuoluta " obscuritatibus enodemus, ac quantum vires " suppetunt, elucidemus. Magna sanè vr- " gensque est obiectio illa, quæ ex Iosephi Iu- " dæi historiâ exoritur, quâ dicitur descriptio- " nem factam sub Quirino Præside, non He- " rodis tempore, quo ponitur ab Euangelistâ, " imò nec sub regno eius filij Archelai; sed " post illum exactum, nouem saltem annis ab " Herodis interitu contigisse. Mirati sumus " vehementer, Eusebium ad confirmandam " Euangelicam veritatem de censu acto sub " Quirino, citasse dictum auctorem, quem in " his, quæ ad tempus spectant, contradicere " certum est; vsque adeò, vt illius assertione " historiam à Lucâ conscriptam in dubium " reuocari sit necesse. "

Ioseph. Antiq. lib. 17. cap. vlt. & l. 18. c. 1. De bello Iud. lib. 2. c. 7.

Euseb. hist. l. 1. c. 5.

Quis hæc legens non statim deprehendet, vel CRASSAM Casauboni IGNORANTIAM, vel FRAVDIS SVSPICIONEM, dum quæ Baronius ex Eusebij hallucina-

cinatione contra eumdem infert, Casaubonus Baronio eam sententiam, eam illationem, truncando eius verba, tribuit? Arguit Baronius, nõ posse stare Eusebij sententiam, quâ Iosephum cum Lucâ de censu acto cõponit: Imò, inquit, Iosephus Lucæ vsque adeò contradicit; vt illius assertione, (id est, si quis Iosephum sequatur) historiam à Lucâ conscriptam in dubium reuocari sit necesse. Nunc verò sequitúrne Iosephum Baronius, relicto Lucâ? absit, absit. Notum nimis Baronij de Iosepho iudicium, cuius sententiam toties toto primo tomo repudiat. Et ille ob Iosephi auctoritatem Lucæ historiam in dubium reuocet? Quin mage contrà facit: ob Lucæ auctoritatem Iosephi historiam, non in dubium tantùm reuocat, sed omnino reiicit. Ecce Baronij, quæ posteà subiicit, verba:

„ Verùm quid tam magnum, tam nouum
„ & inusitatum, imò quid tam verum & fre-
„ quẽs, quàm si dixerimus Iosephum esse hal-
„ lucinatum? Quid, inquam, tam magnum?
„ cùm certè, etsi nulla subesset ratio eum er-
„ roris arguendi, Euangelistæ quidem auctori-
„ tas satis superque sit ad quantumlibet testa-
„ tam & obsignatam probatamque eius opi-
„ nionem infringendam. Satin' clarè Baronius mentem suam proponit? Pluráne desi-

Baron. in Apparat. n. 82.

derat peruicax calumniator? Concludit ibidem Baronius:

Baron. ibidem.

His omnibus (temporis propinquitate, " historiæ veritate, vitæ integritate) & mille " aliis partibus Lucas Euangelista Iosepho " historico præstat, & maximè antecellit. Sed " quid ampliùs? Non est opus, vt modò ex " Ethnicis æquum iudicem interpellem, cùm " diu ante hæc iudicarit perditissimus ille " Christianorum hostis Iulianus Apostata, " dum Lucæ citat testimonium de descripto " Christo vnà cum Mariâ & Ioseph sub Qui- " rino. "

Apud Cyrill. Alex. lib. 6. contra Iul.

Baronius, cùm videret Eusebium imprudenter nimis Iosephum Lucæ iunxisse, quoad censum sub Quirino actum, quasi pari decurrerent orbitâ: quin mage cùm videret hæreticos Nouatores tantum in hac historiâ Iosepho tribuere, vt non vereantur Lucæ textum repudiare, & in eo quædam expungere, omni conatu contrait. Ac in primis Eusebij hallucinationem detegit, malè Iosephi narrationem cum Lucæ descriptione comparantis, cùm illi nimiumquantum inter se differant. Quâ in re Casaubonus quoque Baronij iudicium laudat. Inde Baronius Nouatorum castigat audaciam, apud quos maior textus Iosephi, quàm Lucæ auctoritas. Imò verò Lucæ potiores partes hîc

sunt

sunt omnibus numeris, etiam Ethnicis testi-
„ bus. Quis enim, inquit, licet Ethnicus, veri Baron. sup.
„ tamen amator & æquus iudex, cùm de ve-
„ ritate historiæ quæritur, non maiorem putet
„ esse adhibendam fidem illi, qui propinquior
„ illis temporibus fuerit, cuius fides adeò sin-
„ cera probetur, vt numquam errasse reperiri
„ possit, quique vitæ integritate sic polleat, &
„ veritatem colat, vt pro eâ millies, si liceret,
„ vitam profundere non recuset?

Hæc tam clarâ lucent apud Baronium luce, vt non videam quî hîc vel tenuis CRASSÆ IGNORANTIÆ nebula obtendi possit. Manifestæ igitur FRAVDIS hac secundâ tabulâ reum tenemus Casaubonum, inuitum licet, non tamen inconfessum; si suam, quam ipse tulit, legem Talionis agnoscat.

CASAVBONVS. Hanc de Scripturarum sacrosanctâ maiestate persuasionem quum nemo altiùs vmquam imbiberit, quàm illi quos Baronius familiari sibi antiphrasi Nouatores amat appellare; non mediocriter sum admiratus, cùm ista legerem, quæ statim subiiciuntur: *esse quosdam Nouatores qui Iosepho Iudæo plus tribuant, quàm Euangelio à Lucâ conscripto.* Equidem quos iste intelligat Nouatores, penitus ignoro: nullus enim vmquam è Protestantium numero mihi le-

ctus, qui eò væsaniæ ac furoris prorupisset. Si quis tamen vel eorum qui fuerunt, vel eorum qui iam sunt, tantam insaniam insaniuit,

Tros Rutilúsve fuat, pariter det sanguine pœnas.

ROSVVEYDVS. Etsi tibi non esset ignotus Nouator ille, quem Baronius tacito nomine reprehéndit, quia eum mox ipse producis; libuit tamen tibi nonnihil hic paratragœdiari contra Baronium, & Nouatorum extollere persuasionem, quasi ipsis sasacrosanctæ Scripturæ auctoritas esset: cùm hæretici omnes iam ab antiquo non Scripturas, sed suos conceptus, suas proferant phantasias, & eas pro Scripturis venditent, vt veriſſimè olim monuit Augustinus. *Videtis autem* (alloquitur hæreticos) *id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scripturâ probet, quid improbet; id est, vt non auctoritati Scripturarũ subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat; non vt ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te committis?* Ecquæ vobis sacrosancta Scripturarum maiestas,

Aug. contra Faustũ, l. 32. c. 19.

ieſtas, qui Scripturas fingitis, refingitis; nunc ex Hebręo fonte multiiugi varias maximeq́; diſtortas deducentes elices, nunc ex vitiato Græcorum alueo minùs quoq; puram haurientes aquam? Apud vóſne ſacroſancta Scripturarum auctoritas, apud quos ſubulâ ſuâ eas pertentat ſutor, acu ſuâ reſarcit ſartor? apud quos eas ad incudem reuocat faber, ad furnum piſtor? vt quod olim querebatur Nicephorus Gregoras de profanatis Scripturis & diuinis Theologiæ myſteriis, apud vos inuenire ſit. Οὕτω γὰρ καὶ παρ' αὐτοῖς εἰπεῖν τοῖς βαναύσοις ἐκκέχυται τὰ Θεολογίας μυστήρια, καὶ οὕτω κεχήνασιν ἅπαντες ἐπὶ τῷ συλλογιστικῶς ἐμβατεύειν τοῖς λόγοις αὐτῶν, ὥσπερ ἐπὶ τῇ χλόῃ καὶ ταῖς νομαῖς τὰ βοσκήματα. καὶ οἱ τὸ πιστεύειν ὀρθῶς ἀμφιβόλου ἔχοντες, καὶ οἱ μηδ' ὅπως δεῖ πιστεύειν εἰδότες, μηδ' ὅ, τι ἐστὶν ὁ πιστεύειν φασὶν, ἀγορὰς καὶ περιπάτους καὶ θέατρα πάντ' ἐμπεπλήκασι τῆς Θεολογίας, καὶ οὐδὲ τοῦτον τὸν ἥλιον αἰσχύνονται μάρτυρα τῆς ἀναιδείας. πῶς δ' οὐκ ἂν εἴη τῶν σφόδρα ἀτοπωτάτων, πάλαι μὲν ὁπότε τὰ Ἑλλήνων ἤκμαζε δόγματα, τάξιν ἐπιπολάζειν, καὶ ἁ τοῖς Δελφῶν θεολόγοις ἐφεῖται μυστήρια, μηδενὶ τῶν ἄλλων ἐξεῖναι μήτε λέγειν μήτε περινοεῖν, κἂν Σωκράτης ᾖ κἂν Πλάτων, κἂν εἴτις ἐπὶ σοφίᾳ περιφανής τε καὶ διαβόητος· παρ' ἡμῖν δὲ οἷς ἀκίβδηλον τὸ τῆς εὐσεβείας ὁμολογεῖται μυστήριον, οὕτωσὶ βεβηλοῦσθαι τὰ θεῖα, καὶ πᾶσι τοῖς θεολο-

Niceph. Greg. Hiſtor. Rom. lib. 10.

γεῖν βουλομένοις εἶναι τοῦτ' ἐφειμένον, καὶ αὐτοχειροτόνητον; *Apud eos enim etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ, & adeò omnes ratiocinatiunculis inhiant, vt herbis & gramini pecudes: & qui de rectâ fide dubitant, & quomodo sit credendum ignorant, & quid sit illud quod credunt nesciunt; ij & fora & porticus & theatra omnia Theologiâ compleuerunt, neque Solem hunc impudentiæ suæ facere testem reuerentur. Et quid absurdius cogitari queat, quàm cùm olim Græcorum dogmata florerent, ordinem fuisse seruatum; & arcana, Delphorum Theologis commissa, nulli alij vel vulgare vel indagare licuisse, siue is Plato, siue Socrates esset, aut quiuis alius sapientiæ laude celebris: apud nos verò qui sincerum pietatis mysterium profitemur, ita res diuinas profanari, & quibuslibet de iis disserendi potestatem dari, vel potiùs à quolibet vsurpari?*

CASAVBONVS. Sed videtur Baronius viris illis de quibus sentit, insignitam facere iniuriam, verba illorum parum Christianè in deteriorem partem interpretans; cùm ipsi hoc solùm dixerint, suspectum esse illo loco Euangelistæ codicem, alicuius mendæ à librariis admissæ, propter manifestã pugnam cum historiâ, quam rationes multæ suadent esse veram. Et memini sanè, Theodorum Bezam olim in primis Annotationum suarum

rum editionibus ſimile quid ſcripſiſſe: qui tamen poſteà, vel re diligentiùs expensâ, vel ab alio monitus, ſententiam mutauit, neque paſſus eſt prioris coniecturæ vllum in poſterioribus editionibus exſtare veſtigium.

ROSVVEYDVS. Omnino Bezæ temeritatem reprehendit Baronius, de quo ita ipſe, tacito hæretici nomine:

„ Sed mirum in modum obſtupuimus ad „ Nouatorum veſaniam, dum Ioſepho Iudęo „ plus tribuunt, quàm Euangelio à Lucâ conſcripto: quippe qui adeò irrefragabilem eſſe „ ducant illius hiſtoriam, vt potiùs quàm velint Ioſephum erraſſe, dicere non erubeſcát, „ textum Euãgelij alteratum, vel potiùs adulteratum: eaque verba, quibus dicitur; *Hæc „ deſcriptio facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino*; „ non eſſe Euangeliſtæ, ſed alicuius otioſi hæc „ ſcribentis in margine, eademque inde irrepſiſſe in textum. Sed doceant, velim, quando „ ſine iiſdem verbis à Patribus idem textus „ citatus alicubi reperiatur, vel ſi quis Græcus „ aut Latinus codex inueniatur antiquus, in „ quo ea verba deſiderentur. At cùm (vt & „ nunc habet textus) ſemper à temporibus „ Apoſtolorum, æquè in omnibus Chriſtiani „ orbis Eccleſiis ea verba in Euangelio ſint „ lecta; quæ tanta temeritas & impudentia, „ vt ea velint expungi?

Baron. in Appar. n. 81.

Luc. 2.

Nunc

Nunc ne quid temerè Baronius Bezæ affinxisse videatur, etiam Bezam audiamus. Postquam Beza textum Lucę produxit, quo prima descriptio facta dicitur Præside Syriæ Cyrino, difficultatem ex Iosepho mouet, qui vltimis annis Herodis Præsidem Syriæ ponit Quinctilium Varum, quem etiam Saturnino successorẽ facit. Iosephum autem, inquit, in re tam celebri, & ex actis publicis cognitâ, mirum est potuisse tam turpiter hallucinari. Tandem concludit: Necesse est tamen, vt Euangelistæ sua constet auctoritas. Itaque supereſt, vt vel in Syriæ Præsidibus enumerandis errauerit Iosephus, vel potiùs, vt quemadmodum ipse libro Antiquitatum XVI. Volumnium adiungit Saturnino quasi collegam in Syriæ administratione (quem tamen libro primo de bello Iudaico Procuratorem Cæsaris fuisse dicit) sic etiã existimemus, huius descriptionis tempore Varum quidem fuisse Syriæ Præsidem, sed ei adiunctum fuisse Cyrenium: qui cùm in Herodis regno nõ posset dici Iudææ Præses, neque tamen simplici Procuratoris Cæsaris titulo videretur satis honestari, Syriæ etiam Præses diceretur.

Beza in c. 2. Lucæ. Basileæ 1560.

Quid si verò potiùs totum hoc, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, cùm ab aliquo esset annotatum, qui

„ qui Cyrenij descriptionem cum istâ confu-
„ derit, posteà ex margine in textum irrepsit?
„ Nam certè deest particula quæpiam, quâ
„ versiculus iste cum superiore connectatur.
„ Et simile quiddam factum videtur Mar. XII.
„ d. 42. vt suo loco annotauimus, & fortassis
„ etiam infrà Act. VIII. e. 26. Sed hoc quidem
„ est nodum secare potiùs quàm soluere. Ab-
„ sit autem vt vel apicem vnum immutem,
„ nedum quidquã detraham. Hactenus Beza.

Præmissis his Baronij Bezæque verbis, videamus nunc an Baronius Bezæ similibusq; Nouatoribus insignitã faciat iniuriam, verba illorum parum Christianè in deteriorem partem interpretando, vt quiritatur Nouatorum patronus Casaubonus: an verò rectè Baronius mentem Bezæ (etsi ille verbis suis aliud præferre velit) perceperit.

Rectè Baronius asseruit, Nouatores Iosepho Iudæo plus tribuere, quàm Euangelio à Lucâ conscripto. Quid enim aliud sonant verba Bezæ? Cùm enim triplici ratione difficultati, quæ Iosephum inter & Lucam intercedit, conetur satisfacere, eam potiùs viam eligit, quâ Iosepho sua constet auctoritas, Lucæ non constet. Mauult enim asserere Lucæ textum esse corruptum, quàm Iosephi in historiâ lapsum agnoscere. Non hoc Iosephi historiam Lucę Euangelio præ-

pone-

ponere? Cùm enim Lucæ textus non aliter citetur à SS. Patribus, non aliter in mss. codicibus reperiatur, nec vllus illi alius ex Scripturis textus refragetur; non magna temeritas, non magna impudentia, Lucæ textum ad Ioſephi normam reuocare?

Quòd verò Beza, dum textum Lucæ detruncat, præſefert velle ſe ſartam tectam Lucæ ſeruatam auctoritatem, ne apicem quidem velle immutare, nedum quidquam detrahere: perinde eſt ac ſi quis Lucam pallio, quo ſemper amictus inceſſit, ſpoliet; & tamen identidem clamitet: non ei ſe pallium; abſit, abſit; ſed ſuperflua, ſed aſcititia tantùm detrahere. Eâ viâ iam olim inceſſêre Manichæi, teſte Auguſtino: *Manichæi plurima diuinarum Scripturarum, quibus eorum nefarius error clariſſimâ ſententiarum perſpicuitate conuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendunt; ita tamen, vt eamdem falſitatem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant, ſed neſcio quibus codicum corruptoribus: quod tamen quia nec pluribus, ſiue antiquioribus exemplaribus, nec præcedentis linguæ auctoritate, vnde Latini libri interpretati ſunt, probare aliquando potuerunt, notiſſimâ omnibus veritate ſuperati, confuſiq; diſcedunt.*

Aug. ep. 97 apud Hier.

Quòd ſi quandoque SS. Patres, vel Sacra-

crarum litterarum interpretes, quædam textus sacri commata in dubium reuocant, faciunt id, vel quòd alius Scripturæ locus refragetur, vel quòd libri non omnes consentiant, vel aliâ aliquâ simili caussâ. At verò propter exteri historici auctoritatem in dubium reuocare Euangelij textum, qui ita semper apud omnes Patres in omnibus libris obtinuit, id temeritatis, id impudentiæ esse asseruit Baronius contra Bezam; & rectè eum asseruisse, omnes veri prudentes iudicabunt. Quin & Beza, vel teipso teste, cùm in posterioribus operis sui editionibus nullum huiusce coniecturę voluit exstare vestigium, suam ipse temeritatem, suam impudentiam damnat.

Quæ sanè Bezæ desultoria leuitas nunc textum inuertendi, nunc sensus nouos fingendi tanta fuit, vt nonnemo ex Protestantibus ad eum in hæc verba scripserit: *Nisi quis septies tuas editiones emat, nesciet quid aias aut quid neges. Memini Typographum eruditum Hieronymum Commelinum hoc mihi ante decennium dixisse, quòd crebrâ mutatione consilij hoc tandem adeptus es, vt plurimi nihili faciant nouum Testamentum litterâ læsum, atque sensu flexiloquum. Et olim quidam D. Cantabrigiensis mihi retulit, quòd Cantabrigiæ complures auersati sunt religionem* Ioã. Drus. ep. ad Bezam.

nem (Caluinianam) *ducti per te ad credendum, quòd nouum Testamentum deprauatum est, sicut per Edual Liueleium, quòd vetus vlceratum.*

Equidem cùm ante annos aliquot adesset mihi Leidensis Professor quidam non è vulgo, ortaque inter nos esset quæstio de Sacris litteris, ad quas de religione controuersiæ sint examinandæ, petij quas ille Sacras litteras, quem textum, Hebræum, Græcum, Latinum, an vulgarem amplecteretur? Hîc ille hærere dubius, laudare Ecclesiæ Romanæ prudentiam, quæ ad vnum textum dubios reuocaret, controuersias excuteret. Tandem, quia insigniter Græcè doctus erat, Græcum se textum amplecti asserebat. Tum ego: Sed quid agent tot seminiuerbij vestri, qui Græca ignorant, & tamen populo verba pura puta, vt ipsi aiunt, Sacrarum litterarum vendunt? hic ex versione Tremellij, ille ex versione Iunij, alius ex alterius captu? Tum ille rursus Ecclesiæ Romanæ in vno textu asserendo laudare prudentiam. Certè cùm vnus Beza tot variationes induxerit, quid facient tot noui interpretes, vbi quisque suam præfert litteraturam, sua vendit somnia?

TABV-

TABVLA III.

Hæmorrhoüſæ ſtatua ad cultum Imaginum propugnata. Craſſa Caſauboni ignorantia, vel potiùs fraus, quaſi Baronius Damaſceni libros de Imaginibus, plenos mendaciis dixerit. Contrà planè dicit. Maximis eos laudibus, maiores ſecutus, effert.

CASAVBONVS. Hiſtoriam de ſtatuâ æreâ Paneade Domino noſtro poſitâ à muliere hæmorrhoüſâ, poſt morbum ſanatum, accuratè expendimus ad annum Chriſti LVII. vbi illam Baronius reponit. Exponimus ibi locum Euſebij, deſcriptum hîc Baronio, quo multi hodie contra certam auctoris mentem amant abuti. *Exerc. 15. cap. 38.*

ROSVVEYDVS. Quis hiſtoriâ illâ abutatur, equidem neſcio. Nos ad mentem mulieris ſtatuam dedicantis, ad mentem Euſebij eam deſcribentis vtimur, quâ olim Synodus VII. vſa eſt, quâ Damaſcenus, quâ alij Eccleſiaſtici ſcriptores. Et ne Lectoris mens intereà tuis verbis ſuſpendatur, ab vſu cultuque Imaginum, dabo hîc Hæmorrhoüſæ hiſtoriam, vt ab Euſebio alijſque auctoribus eſt deſcripta, vt ex eâ quiuis intelligat, quid femina ſtatuam illam dedicando in Chriſti

memoriam, intenderit: an eam tantùm dedicare voluerit, vt beneficij à Christo accepti memoriam recoleret; an verò etiam, vt ei cultum, & gratum animi obsequium exhiberet.

Euseb. Histor. Eccles. lib. 7. c. 14.

Ita igitur Eusebius: Τὴν γὰρ Αἱμοῤῥοοῦσαν, ἣν ἐκ τῶν ἱερῶν Εὐαγγελίων πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν τοῦ πάθους εὑρέσθαι ἀπαλλαγὴν μεμαθήκαμεν, ἐνθένδε ἔλεγον ὁρμᾶσθαι, τόν τε οἶκον αὐτῆς ἐπὶ τῆς πόλεως δείκνυσθαι, καὶ τὴν ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος εἰς αὐτὴν εὐεργεσίας θαυμαστὰ τρόπαια παραμένειν. ἑστάναι γὰρ ἐφ' ὑψηλοῦ λίθου, πρὸς μὲν ταῖς πύλαις τοῦ αὐτῆς οἴκου, γυναικὸς ἐκτύπωμα χάλκεον ἐπὶ γόνυ κεκλιμένον, καὶ τεταμέναις ἐπὶ τὸ πρόσθεν ταῖς χερσὶν, ἱκετευούσῃ ἐοικός. τούτου δὲ ἄντικρυς ἄλλο τὴν αὐτῆς ὕλης ἀνδρὸς ὄρθιον σχῆμα, διπλοΐδα κοσμίως περιβεβλημένον, καὶ τὴν χεῖρα τῇ γυναικὶ προτεῖνον, οὗ παρὰ τοῖς ποσὶν ἐπὶ τὴν στήλης αὐτῆς, ξένον τι βοτάνης εἶδος φύειν, ὃ μέχρι τοῦ κρασπέδου τὴν τῶν χαλκοῦ διπλοΐδος ἀνιὸν, ἀλεξιφάρμακόν τι παντοίων νοσημάτων τυγχάνει. τοῦτον δὲ τὸν ἀνδριάντα, εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον. ἔμενε δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς, ὡς καὶ ὄψει παραλαβεῖν ἐπιδημήσαντας αὐτοὺς τῇ πόλει. καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν τοὺς πάλαι ἐξ ἐθνῶν εὐεργετηθέντας πρὸς τῶν Σωτῆρος ἡμῶν, ταῦτα πεποιηκέναι. ὅτε καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας Παύλου καὶ Πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ, διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν, ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλά-

κτως

κτως οἷα σωτῆρος ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς τὸν τιμᾶν εἰωθότων τ τρόπον. *Mulierem illam sanguinis profluuio afflictatam, quam sanctorum Euangeliorum testimonio à Seruatore nostro morbi remedium inuenisse cognouimus, ex eâ ciuitate oriundam, illiusq; domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Saluatoris in eam beneficij monimenta, & quasi trophæa, ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis, in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam: huic è regione viri erectam imaginem ex eadem materiâ conflatam, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem, ad cuius pedes in ipsâ basi peregrinam quamdam & inusitatam herbæ speciem enasci: quam quidem, vbi ad ænei vestitus simbriam excreuerit, morbis cuiusque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum eos, qui ex gentibus prognati, à Saluatore, dum inter homines viuebat, beneficiis affecti fuissent, ista effecisse; cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines, colorum varietate expressas, conseruatasq; aspexerimus: idq; pro-*

ptereà, ſicut veriſimile eſt, quòd maiores noſtri ad gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quàm proximè accedentes, eos qui tamquam ſaluatores illis fuiſſent, id eſt, qui illis aliquid ſalutis & ſubſidij attuliſſent, apud ſe honore ad hunc modum afficere conſueuerant.

Quid in hac narratione reprehendi poteſt? quid hîc occurrit, quod non quemuis Chriſtianum piè imitari liceat? habes feminam de geniculis adorantem; habes manus in formam ſupplicantis extenſas; habes denique feminam coram ſtatuâ ſupplicem: cur & cuiuis Chriſtiano non liceat coram Chriſti imagine genuflectere, orantis in morem ad eam manus tendere, denique ſtatuæ pronum accidere, coram ſtatuâ ſupplicationem intendere? Vllúmne hîc idololatriæ periculum? Vllúmne alienæ à vero Deo animæ, in hac feminæ conformatione veſtigium? Gratam acceptamque ſibi feminæ pietatem ipſe Deus, idololatriæ aliàs vindex acerrimus, miraculo teſtatur. Quis tanti miraculi beneficio, non ad ſimilem pietatem excitetur? An quod in feminâ pietas, in nobis impietas erit?

Quin & nouo prodigio, gratum ſibi feminæ obſequium, ingratum impij Iuliani Apoſtatæ facinus Deus rurſus declarauit, Iuliani ſtatuâ de cælo tactâ, quæ in locum

ſtatuæ

ſtatuæ Chriſti ſucceſſerat. Rem narrat Sozomenus: Ἐμοὶ δὲ τῶν ἐπὶ Ἰουλιανοῦ συμβάντων, κἀκεῖνο ῥητέον, σημεῖον μὲν τῆς τοῦ Χριστοῦ δυνάμεως· τεκμήριον δὲ τῆς εἰς τὸν κρατοῦντα θεομηνίας. ἐπὶ γὰρ ἔγνω ἐν Καισαρείᾳ τῆς Φιλίππου, Φοίνικος δὲ αὕτη πόλις, ἣν Πανεάδα ὀνομάζουσιν, ἐπίσημον εἶναι Χριστοῦ ἄγαλμα, ὃ τοῦ πάθους ἀπαλλαγεῖσα ἀνέθηκεν ἡ Αἱμοῤῥοοῦσα, καθελὼν τοῦτο, ἴδιον * ἀνέστησε. βίαιον δὲ πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσὸν, τὰ περὶ τὸ στῆθος τοῦ ἀνδριάντος διέτεμε, καὶ τὴν κεφαλὴν σὺν τῷ αὐχένι κατέβαλε, καὶ ἐπὶ πρόσωπον ἐνέπηξεν ᾗ τὸ διεῤῥωγὸς τοῦ στέρνου ἐστὶ· καὶ τὸ ἐξ ἐκείνου εἰσέτι νῦν, τοιοῦτος ἕστηκε τῆς κεραυνίας αἰθάλης πλήρης. *Illud porrò dicetur à me, quod etiam regnante Iuliano accidit: quod quidem vt Chriſti potentiam planè indicat, ita iram diuinam aduerſus Imperatorem accenſam euidenter oſtendit. Cùm certior factus eſſet Cæſareæ Philippi (eſt ea quidem vrbs Phœniciæ, quam Paneaden vocant) præclaram eſſe Chriſti ſtatuam, quam mulier, quæ ſanguinis profluuio laborabat, cùm eſſet morbo liberata, ibi collocauerat: eã deturbauit, ſuamq́ in eius loco poſuit. Quo facto, ignis violẽtus de cælo delapſus, ſtatuam illã circiter pectus perſecuit, caputq́ vnà cum collo in terram deiecit, atq́ in faciem humi eâ in parte defixit, quæ fuerat à pectore diuulſa. Ex quo quidem tempore ad hodiernum diem atra, tamquam fulminis ictu ambuſta, manet.*

Sozom. l. 5. c. 20.

ἀντέστησε.

Quid hîc Christiani? statuámne Christi deiectam neglexêre? Imò verò & in honestiorem Diaconici locum intulêre,& maiori etiam religionis studio sunt prosecuti. Memorat post alios Nicephorus: *Statuam Christi Christiani tum in Diaconicũ Ecclesiæ transtulerunt, & honoratiore loco positam, cultu conuenienti prosecuti sunt. Locum namq; eum libenter frequentantes,& imaginem ipsam inspectantes, desiderium suum & amorem erga statuæ ipsius archetypum, primariumq; exemplar,declararunt.*

Niceph. l.10.c.30.

Quid porrò? cùm nec ibi tuta staret statua, quid actum? Prosequitur Nicephorus: *Impij porrò Imperatoris istius temporibus, qui Paneade fuêre Græcæ superstitionis sectatores, concitati, statuam eam,sicut dixi, loco suo motam, funibus ad pedes vinctis, per mediam traxêre viam, omniq; impietatis genere contumelioſissimè affecêre. Ita illi reliquum imaginis corpus comminuerunt, & caput à membris suis diuulsum distraxerunt. Quod sanè nonnulli, qui flagitio tanto,ita vt par erat, indoluêre, clàm sublatum, sicuti potuerunt, conseruarunt: itidemq; & alias corporis partes collectas in Ecclesiâ reposuerunt.*

Niceph. suprà.

Satin' nunc religiosus veterum Christianorum erga hanc Christi statuam animus eluceſcit? Ab impio Iuliano loco suo primùm

mùm motam non neglexêre Christiani, sed feruentiori studio in Diaconicum intulêre, vt & à cæli iniuriis esset tutior, & honestiori quoque loco collocaretur. Sed & eâ loco eo motâ, & in frusta dissectâ, non deferbuit Christianorum erga eam religio, qui frustula hastulasque collectas in Ecclesiam religionis ergô intulêre. Quibus aliis pietatis indiciis potuêre Christiani suum erga imaginum cultum declarare studium? Quod tunc in vsu apud Christianos fuit, continuo ad hæc vsque tempora tenore in Ecclesiâ Catholicâ frequentatum fuit: vt facilè hinc appareat, quæ nunc Ecclesia, Romana an Gebennica, in Imaginum cultu cum veteri Ecclesiâ contesserationem teneat: vt meritissimò olim Epiphanius Sardiniensis in coronâ CCCL. Patrum, qui ad secundam Nicænam Synodum conuenerant, clarâ voce pronuntiarit: Μετὰ δὲ πολλῶν τῶν ἀγράφως ἡμῖν παραδοθέντων καὶ ἡ τῶν εἰκόνων ποίησις ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ πεπλάτυνται ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κηρύξεως· καὶ δηλοῖ ἡ ἱστορία ἡ περὶ τὴν Αἱμοῤῥοοῦσαν ἐκ διαφόρων ἱστοριῶν μαρτυρουμένη, ὅτι αὐτὴ ἀνδριάντα ἀναθεῖσα τοῦ Κυρίου, καὶ ἑαυτῆς ἁπτομένης τοῦ κρασπέδου τοῦ ἀνδριάντος, καθὼς λοιπὸν διηγεῖται τὸ Εὐαγγέλιον, ὅτι τῆς ἰάσεως ἔτυχε· μεταξὺ αὐτῆς τε, καὶ τῆς τοῦ Κυρίου εἰκόνος, βοτάνη τὶς ἀνεφύη, προσεγγίζουσα τοῦ ποδὸς τοῦ ἀνδριάντος,

Nicæn. 2. Synod. quę est 7. gener. Act. 6. tom. 4.

πάσης νόσου ἀλεξητήριον. *Præterea cùm multis, quæ nobis sine scripto tradita sunt, etiam imaginum factio in Ecclesiâ ab Apostolorum prædicatione dilatata est: indicat autem hoc & historia de Hæmorrhoüsâ, quæ ex diuersis historiis testimonium habet: & secundùm quod sanctum Euangelium refert, sanitatem adepta est: quia hæc statuam Domini, & suiipsius tangentis fimbriam statuæ posuit. Inter illam autem & Christi imaginem herba quædam oriebatur, appropinquans pedi statuæ, omnis languoris remedium.* O eximiam feminæ pietatem! quæ fuso ære perennari voluit collati in se beneficij memoriam. O femineæ pietatis non immemorem Deum nostrum! qui nouâ inusitataque herbæ salutaris beneficientiâ testari voluit gratam sibi & imaginis dedicationem & feminæ pietatem. Non mirum à statuę fimbriâ vim salutificam herbam concipere, quasi in ipsâ statuâ viueret Christus noster? Ei ergo in statuâ, ei per statuam, ei coram statuâ supplicemus. Non indonatus abibit ratione præditus animus, cùm non sentiens herba non sine donatiuo fimbriam tangat.

Exerc. 13. c. 38. CASAVBONVS. Hîc verò conditor Annalium, magnam omnino promeritus est laudem eo iudicio, quod super libris Damasceni de Imaginibus fecit. Verè enim pronun-

nuntiat, *in multis eius scripti fidem vacillare, & compluribus ipsum scatere mendaciis.*

ROSVVEYDVS. Teneo te hîc, Casaubone, iterùm te teneo, Casaubone, CRASSÆ IGNORANTIÆ, vel FRAVDIS potiùs ex lege Talionis, quam tute tibi Baronioque dixisti, reum. Quis enim te ignorare existimet Baronij de Damasceno iudicium? Illéne præclarissimum Damasceni de Imaginibus opus, omni Damasceno peristromate ornatius, fucatum? quid dico fucatum? mendaciis plenum diuentilet? Numquam hoc de eo libro scripsit, imò ne cogitauit quidem. Ecce Baronij de hoc ipso Damasceni opere iudicium; cùm adorioſus athleta in
„ campum contra Iconoclastas prodiit. Hic,
„ ait, intrepidè prosiliit in arenam, *tribus editis*
„ *Orationibus pro sacrarũ Imaginum cultu*, quo
„ funiculo triplici in cultu veræ religionis Ca-
„ tholici tenerentur; eodem veluti facto fla-
„ gello impij manu Dñi flagellarentur. Profectò etiamsi Plautinianus flagrio, etiamsi de pistrino esses; non posses non hoc triplici rumpi funiculo. Quòd si funiculus hic tibi nimis vilis sit; arma lustra, arma inspice: Cùm
„ fortius atque vehementius, ait idem Baro-
„ nius, ingruit prœlium, validiora parauit ar-
„ ma; illa nimirum, quæ hactenus in sacro ar-
„ mamentario sanctæ Ecclesiæ Catholicæ in-

Baron. tom. 9. ad ann. 727.

Baron. ibid.

tegra asseruantur, *tres* illæ videlicet *Orationes de Imaginibus* inscriptæ, quæ pro Imaginibus promulgatæ leguntur. Satin' clarè Baronius mentem suam de Orationibus Damasceni, quas pro cultu vulgauit Imaginũ, expressit? Meminerat scilicet Romanum sibi Martyrologium ad id formandum iudicium, præiuisse. *Damasci natalis B. Ioannis Damasceni, sanctitate & doctrinâ celebris; qui pro cultu sanctarum Imaginum verbo & scriptis aduersus Leonem Isauricum strenuè decertauit.* Meminerat Græcorum Menologium non minori laude Damascenum, ob hoc eius opus, ornasse: *Sanctus Ioannes, qui orationis facultate, & sanctarum Scripturarum testimoniis, impiam hæresim eorum qui sacras Imagines impugnabant, vehementer confutans ac redarguens, multa eruditè & accuratè scripta reliquit, in quibus omnium ferè quæstionum solutio inuenitur.* Quæ ex Menæis Græcorum ad verbum pænè expressa sunt & adumbrata: Ὁ δὲ ἁγιώτατος Ἰωάννης, καὶ αὐτὸς τὰ ὅμοια καὶ πλείονα διαπρεξάμενος, καὶ τῇ τῶν λόγων αὐτοῦ δυνάμει καὶ τῶν γραφῶν σοφαῖς ἀποδείξεσι πλείοσι στηλιτεύσας τὴν δυσεβῆ τῶν εἰκονομάχων αἵρεσιν, καὶ πολλὰ συγγράμματα τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ καταλελοιπὼς, δι' ὧν κεδὸν παντὸς τὸ ζητουμένου γνῶσις ἐναργὴς δύναιτο, ἐν γήρᾳ πίονι, καταλύει τὸν βίον, ζήσας ἔτη ἑκα-

Martyrolog. Rom. 6. Maij.

Menolog. Græc. 29. Nouemb.

Menæa Græcorũ, 4. Dec.

ἔπαινον φερὸς τοῖς τέσσαροι. *Celebris verò Ioannes plurimis eiusmodi præstitis cùm vi dicendi, tum doctissimis Scripturæ sacræ demonstrationibus, plurimùm item in impiam Iconomachorum hæresim scriptis inuectus, ac multis Ecclesiæ Dei scriptis relictis, quibus omnis quæstionis euidens inuenitur cognitio, maturâ senectute, annorum centum & quatuor, ex hac vitâ decessit.*

Memminerat Ioannem Ierosolymorum Episcopum, præclarum de hoc opere tulisse suffragium: Ἔτι δὲ καὶ μακροὺς συνῆρε λόγους ὁ Ἰωάννης, καὶ αὖθις περὶ τῶν θείων καὶ σεπτῶν εἰκόνων περιφανὴς περισκευάσεως. καὶ ὅσον τὸ ἐν ὑλῃ, τῆς θείας εἰκόνος κάλλος τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀνεμορφώσατο κάλλιον, ὅσου τὸν καὶ τὰ περὶ τῶν σεβασμίων εἰκόνων τιμῆς ἀνετάξατο ὑψηλότερον καὶ φαιδρότερον. *Amplissimos libros de diuinarũ ac venerãdarum Imaginum præclarâ adoratione contexuit. Quò enim diuinæ imaginis pulchritudinẽ in se ipso, inde ab initio præstantiùs impresserat; eò quoque sublimiùs & illustriùs de venerandarum Imaginum honore conscripsit.* Ioan. Ierosol. Ep. in vitâ Ioan. Damasc.

Quòd si tibi magis placeat pseudosynodi Constantinopolitanæ septimæ contra Ioannem acclamatio: *Manzuri ignominioso & Saracenico anathema. Doctori impietatis ac peruerso interpreti diuinæ Scripturæ Manzuri anathema*; Memineris eam pseudosynodum Apud Nicænam 2. Synodum, quæ est 7. generalis, Act. 6.

odum à Constantino Copronymo Iconoclastarum Principe indictam, & in Nicænâ II. Synodo reprobatam. Cuius Copronymi quia maiores tui institêre vestigiis, sunto quoque Thymoleontes, quòd colentes sacras Imagines plagis sine modo affecerint.

Damasc. de hæres. in fine.

Iam verò, si originem erroris tui nosse desideras, relege Baronij verba, accuratiùs inspice. Post narratam ex Euseb. l. VII. c. 14. historiam mulieris hæmorrhoïsæ statuam Christo dedicantis, subdit Baronius:

Baron. tom. 1. ad ann. Chr. 31. n. 75.

Porrò recenset Ioannes Damascenus ex « Chronico Ioannis Antiochiæ Episcopi cog- « nomento Malalæ, supplicem libellum ob- « latum Philippo Tetrarchæ Trachonitidis « regionis, vt de beneficio, quod acceperat, li- « ceret in perpetuum eius rei monumentum « erigere statuas. Sed cùm in multis eius scripti fides vacillet, & compluribus scatere « mendaciis cognoscatur; indignum putauimus his nostris chartis subtexere. Qui lo- « cum cupit, habet numerum citatum in mar- « gine, qui facilè indicet. «

Ioan. Damasc. de Imagin. orat. 3.

Vide nunc CRASSAM tuam IGNORANTIAM, vel FRAVDEM potiùs, Casaubone. Quod Baronius de scripto Ioannis Malalæ asseruit, cuius è Chronico ἀποσπασμάτιον adfert Damascenus, tu de ipso Damasceni libro ab eo assertum vis. Quid quæ-

quærebas, quid? Nempe vt Cretensis se iungeret Æginetæ, vt quia mendax Ioannis Malalæ Chronicon, Ioannis quoque Damasceni libri mendaciis pleni dicerentur. Sed obtinet, semperque obtinebit in Ecclesiâ grauissima Damasceni auctoritas; viuent Imaginum assertores libri, & rectum Baronij de Damasceni libris iudicium, peruersam Casauboni de Damasceno Baronioque opinionem loquetur posteritas.

TABVLA IV.

Recta & curiosa Baronij obseruatio de quibusdam fontibus, anniuersario die, quo nuptiæ celebratæ in Canâ Galilææ, vini sapore fluentibus. Multiplex Casauboni lapsus, nec Baronium, nec Plinium intelligentis.

CASAVBONVS. Obseruatio Epiphanij super vinosis fontibus prorsus est admirabilis. Non enim dubitamus, virum sanctissimum ea retulisse in litteras, quæ sibi certâ fide essent comperta. *Exerc. 13. cap. 22.*

ROSVVEYDVS. Laus Deo, quòd Epiphanio viro sanctissimo tandem aliquid tribuas, quem nunc *certâ fide* ais scripsisse, quem tamen alibi asseris *leuibus auditiunculis nescio vnde acceptis, facilè nimis aliquando*

do fidem habuisse. Et vnde nunc *certa* Epiphanio *fides* asseritur, eâ in re, cuius nullus veterum meminit; & alibi, vbi quoque suæ sententiæ vel nullum vel paucos adstipulatores habet, *nimiæ credulitatis* accusatur?

Epiphanij obseruationem hîc ex auctore ipso subiicio; tum, quia rara est, & digna lectione; tum, quia ex eâ apparebit, quàm aptè Baronius sua de vinosis fontibus exempla protulerit, sine vllo memoriæ vitio, quod illi adscribere conatur Casaubonus, alienis à proposito exemplis prolatis. Ita igitur Epiphanius de miraculosis fontibus, in memoriam nuptiarum in Canâ Galileæ celebratarum, anniuersario die vini sapore fluentibus:

Epiphan. hæresi 51. Καὶ περὶ αὐτὸν τὸν ἑνδέκατον (Τυβί) μῆ ἔτη ξιάκοντα γέγονε τὸ πρῶτον σημεῖον ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, ὅτε τὸ ὕδωρ οἶνον ἐγλύετο. διὸ καὶ ἐν πολλοῖς τόποις ἄχρι τοῦ δεῦρο τοῦτο γίνεται, τότε τὸ γλυόμενον θεοσημεῖον, εἰς μαρτύριον τοῖς ἀπίστοις· ὡς μαρτυροῦσιν ἐν πολλοῖς τόποις πηγαί τε καὶ ποταμοὶ εἰς οἶνον μεταβαλλόμενοι. Κιβύρης μὲν τῆς πόλεως τοῦ Καρίας ἡ πηγὴ, καθ' ὣν ἤντλησαν ὥραν οἱ διάκονοι, καὶ εἶπε, Δότε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἡ ἐν Γεράσῃ τοῦ Ἀραβίας πηγὴ ὡσαύτως. πεπώκαμεν ἀπὸ τοῦ Κιβύρης, ἡμέτεροι δὲ ἀδελφοὶ ἀπὸ τοῦ ἐν Γεράσῃ πηγῆς τοῦ ἐν τῷ Μαρτυρίῳ. καὶ πολλοὶ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ περὶ τὸ Νείλου τοῦτο μαρτυροῦσι. διόπερ ἐν τῇ ἑνδεκάτῃ Τυβὶ κατ' Αἰγυ-

Αἰγυπτίους, πάντες ὑδρεύονται ὕδωρ, καὶ ἀποτιθέασιν ἐν αὐτῇ τῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν πολλαῖς πατρίσιν. *Et circa ipsam vndecimam* (mensis Tybi) *post annos triginta, factum est primum signum in Canâ Galilææ, quando aqua facta est vinum. Quapropter etiam in multis locis, vsque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum est, diuinum signum in testimonium incredulis: veluti testantur in multis locis fontes ac fluuij in vinum cõuersi. Cibyres quidem vrbis Cariæ fons, quâ horâ hauserũt ministri, & ipse dixit, Date architriclino. Testatur & in Gerasâ Arabiæ fons similiter. Nos bibimus è Cibyres fonte. fratres verò nostri de eo qui est in Gerasâ, in Martyrum templo. Sed & multi in Aegypto de Nilo hoc testantur. Quare in vndecimâ Tybi apud Aegyptios, omnes hauriunt aquam & reponunt, tum in ipsâ Aegypto, tum in multis regionibus.*

Quòd autem Epiphanius habet, vndecimam mensis Tybi anniuersariam, fontium miraculis, in pluribus orbis locis, illustrari consueuisse; rectè animaduertit Baronius eam apud nos esse sextam diem Ianuarij, quâ die Ecclesia Catholica recolit anniuersariâ solemnitate tantę rei, quæ in Canâ Galilææ contigit, celebritatem.

CASAVBONVS. Sed in illis, quæ attexit de suo scriptor Annalium, nonnulla occur-

currunt animaduersione digna. Nam quod ait nullum se legisse auctorem, qui ante Dominum nostrum vixerit, fontium vinum scaturientium mentionem facientem; non meminerat vir πολυμαθέστατος, aliquando sibi lectum, opinor, Vitruuium, æqualem Augusti scriptorẽ; cuius verba sunt lib. VIII. cap. III. *Sunt etiam fontes vti vino mixti, quemadmodum est vnus Paphlagoniæ, ex quo etiam sine vino potantes fiunt temulenti.* Plinius quoque libro XXXI. cap. secundo auctor est, ab Eudoxo & Theopompo scriptoribus antiquissimis, quosdam fontes memoriæ esse proditos, qui bibentes inebriarent: quamquam ipse Plinius alios effectus illis aquis attribuit. Lego etiam in Eclogis Sotionis vetusti scriptoris, & qui vetustissimos laudat auctores, fontem in Arabiâ fuisse nomine Isodum, in quem si quis heminam vini infunderet, totus fons euadebat κρᾶμα, hoc est vinum dilutum, quale vulgò bibi solebat. Ἐν Ἀραβίᾳ, inquit, ἐστὶν Ἴσοδος κρήνη, ἥ τις κοτύλης οἴνου ἐμβληθείσης κιρνᾶται, καὶ πρὸς τὴν πόσιν εὔκρατος γίνεται.

Vitru. l. 8. c. 3.

Plin. l. 31. c. 2.

ROSVVEYDVS. Et meminisse potuit πολυμαθέστατος Baronius eorum fontium, quos tu producis; sed cui bono, quo fine? Nihil enim nec pro eius instituto, nec contra quoque eius propositum faciunt. Agit Baro-

Baronius de fontibus & fluuiis vinosis, id est, sapore vinum referentibus, seu aquis in vinum cõuersis; quales illi apud Epiphanium, Cibyres fons Cariæ, alter in Gerasâ Arabiæ, & Nilus in Ægypto. Agit de fontibus certo anni tempore, circa sextum maximè Ianuarij diem, vinum scaturientibus. Tu verò fontes nobis producis, non qui vino mixti essent, seu vini saporem referrent certo die, certo anni tempore; sed qui omni tempore, *vti vino mixti* (vt est apud Vitruuium) tamen *sine vino* potantes ex eo temulentos efficerent. Nec alium in finem Eudoxus & Theopompus apud Plinium fontium meminêre, quàm quòd vini modo inebriarent. Sed locus Plinij & aliâ dignus est animaduersione: quòd tu hîc aquam, quod aiunt, mirificè turbas. *In Bœotiâ ad Trophonium Deum iuxta flumen Orchomenon duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert, inde nominibus inuentis. In Ciliciâ apud oppidum Crescum riuus fluit Nus, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri M. Varro tradit. At in Ceâ insulâ fontem esse, quo hebetes fiant: Zamæ in Africâ, quo canoræ voces: vinum tædio venire his, qui ex Clitoria lacu biberint. At Eudoxus & Theopompus inebriari fontibus iis, quos diximus.* Quem tu huic loco commentarium attexis?

Vitru. l. 8. c. 3.

Plin. l. 31. c. 2.

*al. Chio.

Casaub. *Exerc.*13. n,22.

Plinius quoque libro xxxi.capite ii. auctor est,ab Eudoxo & Theopompo scriptoribus antiquissimis quosdam fontes memoriæ esse proditos, qui bibentes inebriarent: quamquam ipse Plinius alios effectus illis aquis attribuit.

Itâne Casaubone? Censes igitur Eudoxum & Theopompum, de iis, quos hîc Plinius memorat, alioſque iis effectus tribuit, fontibus intelligendos? Toto hîc,si quis vmquam,& cælo & solo erras. Non sanum hîc aquilegem agis. Fontes ij, de quibus Eudoxus & Theopompus,sub alio cęlo positi,nec ex Plinij libro illo xxxi. cap.ii. educendi, sed ex libro ii.cap.ciii.vbi ita Plinius: *Lynceſtis aqua, quæ vocatur Acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagoniâ, & in agro Caleno.* Huc respicit illud Plinij dictum lib.xxxi. cap.ii. *quos diximus*. Quare altero Plinij loco auctores habes, qui ista de iis fontibus prodidêre, Eudoxum & Theopompum; altero ipsos fontes, Lynceſtem, fontem in Paphlagoniâ, & fontem in agro Caleno. Hæc certa Plinij mens, quam vel ex eodem capite ii. lib. xxxi. colligas, alio simili exemplo. Ait ibi Plinius: *In Arcadiâ ad Pheneum aqua profluit è saxis, Styx appellata,quæ illicò necat, vt diximus.* Vbi quæso hoc dixit Plinius? An hoc eodem capite?

Plin.l.2. c.103.

Plin.l.31. cap.2.

Nihil

Nihil tale in eo, sed nec anteriori comparet; sed respicit ad caput CIII. lib. II. *Iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, nec odore differens nec colore, epota illicò necat.* Estne adhuc quispiam, qui de Plinij mente hęreat? Ecce aliud clarius, ex eiusdem libri XXXI. cap. II. testimonium: *Quòd si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nullâ parte naturæ maiora esse miracula: quamquam inter initia operis abundè multa retulimus.* Remittit hîc ad lib. II. cap. CIII. vbi caput inscriptum habes, *Miracula aquarum, fontium, & fluminum.*

Sed alium adhuc hîc errorem erras, Casaubone, cùm Baronium loquentem facis, quasi dixerit, *nullum se legisse auctorem, qui ante Dominum nostrum vixerit, fontium vinum scaturientium mentionem facientem.* Non hoc dixit Baronius, non: quî enim potuit? meminit ipse Ctesiæ Persicorum scriptoris, ætate Christi maioris, qui vinosi fontis mentionem facit. Aliter igitur chordæ Baronianæ tinniunt, quàm tuo percusse plectro. *Ceterùm*, inquit Baronius, *de dictis fontibus, diuersis locis positis vinum scaturientibus, nullum antiquorum, qui ante Christum vixerit, auctorum mentionem feciſſe, memini me legisse.* Vides hîc quàm truncatè Baronium cites, quàm prauè peruersęque intelligas. Refert Baronius, non sibi in memo-

riam venire auctorem vllum veterem, qui Christi ætatem anteuerterit, qui mentionem fecerit de fontibus vinum scaturientibus, non quibuslibet, vt tu intelligis, sed *dictis*, quorum videlicet meminit Epiphanius, & de eo quoque fortasse, cuius meminit Plinius.

CASAVBONVS. At fons ille Andri insulæ, quem ex Plinio commemorat Baronius, an referri debeat in censum eorum miraculorum, quæ post miraculum in Canâ factum primùm exstiterunt, vehementer dubito. Nam ipsum fontis nomen *Dios tecnosia* (ita enim scribendum) antiquitatem eius miraculi, veri an falsi, videtur arguere: quod stulta antiquitas existimans esse monumentum Liberi Patris à Ioue geniti, Διὸς τεκνώσια nuncupauit. Τεκνῶν & τέκνωσις de liberorum procreatione, etiam cùm de Diis agitur, vsitatissima Græcis verba. Athenæus lib. IX. Μυθεύουσιν ἐν Κρήτῃ γενέσθαι τὴν Διὸς τέκνωσιν. Inde igitur Διὸς τεκνώσια. Neque verò Nonis dumtaxat Ianuarij vinum ex illo fonte manabat, vt putauit Baronius; sed *statis diebus septenis*, ait Plinius libro XXXI. Mense autem Ianuario multas Græciæ ciuitates aliquot dies in Bacchi honorem agitasse testantur Græci Grammatici, qui eam caussam afferunt, cur Ianuarius Lenæon fuerit appel-

appellatus. Sic illi: Ληναιὼν ἐστὶν ὁ Ἰανουάριος· ἐκλήθη δὲ οὗτος, ἐπειδὴ τῷ Διονύσῳ τῷ τῶν ληνῶν ἐπιστάτῃ ἐτέλουν ἑορτὴν τῷ μηνὶ τούτῳ, ἣν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν.

ROSVVEYDVS. In Andro insulâ vinum Nonis Ianuarij fluere testatur Plinius: *In Andro insulâ, templo Liberi Patris, fontem Nonis Ianuarij vini sapore fluere, Mutianus ter Consul tradit: Diotecnosia vocatur.* Non hîc asserit Plinius, fontem illũ Nonis dumtaxat Ianuarij manare vino, nec Baronius ita Plinium est interpretatus. Satis Baronio fuit, vini emanationem, quæ apud Epiphanium tribuitur quibusdam fontibus sextâ Ianuarij, apud Plinium tribui fonti in Andri insulâ Nonis Ianuarij, effectu pari, & die vix dispari. Quòd si ea vini liberalitas in Andro diebus aliquot continuata fuit, vel alio etiam tempore præstita, non id magnopere curauit Baronius. Satis illi fuit, notasse simile quid miraculo ab Epiphanio tradito, alibi quoq; quoad eumdem effectum, eumdemque propè diem contigisse. Habet sanè Plinius alio libro de eodem Andri fonte: *Mutianus Andri è fonte Liberi Patris, statis diebus septenis eius Dei vinum fluere, si auferatur à conspectu templi, sapore in aquam transeunte.* Et pluribus diebus eam munificentiá pręstitam, narrat etiam Pausanias: Λέ-

Plin. l. 2. c. 103.

Plin. l. 31. c. 2.

Pausanias Eliacis.

φασι δὲ καὶ Ἄνδριοι, ϖαρὰ ἔτος σφίσιν ἐις τὸ Διονύσου τὴ ἑορτὴν ῥεῖν οἶνον ἀυτόματον ἐκ τοῦ ἱεροῦ. *Ferunt etiam Andrij, apud se per festos Liberi Patris, vinum quotannis sponte suâ è templo manare.* Cui narrationi non absimilis liberalitatis à Libero Patre Eleis collatæ historiam præmittit idem Pausanias: Θεῶν δὲ ἐν τοῖς μάλιστα Διόνυσον σέβεσιν Ἠλεῖοι, καὶ τὸν θεὸν σφίσιν ὀπφοιτᾶν ἐς τὴν Θυίων τὴν ἑορτὴν λέγουσιν. ἀϖέχει μὴν γε τοῦ πόλεως ὅσον τε ὀκτὼ σταδίους, ἔνθα τὴν ἑορτὴν ἄγουσι, Θυίαν ὀνομάζοντες. λέβητας δὲ ἀριθμὸν ἴσους ἐς οἴκημα ἐσκομίσαντες οἱ ἱερεῖς καταθέντες κενοὺς, ϖαρόντων καὶ τῶν ϖολιτῶν καὶ ξένων εἰ τύχοιεν ὀπιδημοῦντες. σφραγίδας δὲ ἀυτοί τε οἱ ἱερεῖς, καὶ τῶν ἄλλων ὅσοις ἐαὶ κῆ γνώμην ἦ, ταῖς θύραις τοῦ οἰκήματος ὀπιβάλλουσιν. ἐς δὲ τὴν ὀπιοῦσαν τά τε σημεῖα ὀπιγνόντες καὶ ϖάρεσι σφίσι, καὶ ἐσελθόντες ἐς τὸ οἴκημα, διείσασιν οἴνου ϖεπλησμένους τοὺς λέβητας. *Deorum omnium unũ maximè Liberum venerantur Elei, & eum sacrificant (quam Thyiam nominant) ad eum locum qui stadia ab urbe distat circiter octo, diem obire dicitant. Nam cùm in sacello lagenas tres inanes sacerdotes deponant, præsentibus & ciuibus & peregrinis, si quos fortè adesse contigerit: mox verò templi fores vel sacerdotes ipsi, vel alij, quibus curæ sit huius rei periculum facere, suo quisque obsignant annulo: postero verò die agnitis signis ingressi, vini plenas*

Pausan. ibid.

plenas reperiunt lagenas. Quod Architriclini hydriis diabolus vel prælusit, vel pòst æmulatus est.

Quòd Plinij locum corrigis, & pro tuo captu explicas, non est quòd hinc laureolam speres. Nam *Dios tecnosia* iam antè Dalechampius correxerat. Et iam olim Hermolaus Barbarus, ipsis renascẽtibus litteris monuit, in quibusdam exemplaribus inuenisse se *Dios tecosia*, quasi Διὸς τέκνωσις, hoc est, Iouis partio & Lucina, quoniam Liberum Patrem, in cuius templo fons ille fuerat, femore Iouis editum fabulę demõstrant. Quòd si ea lectio proba, non tamen quadrat tua interpretatio, quasi fons ille in Liberi memoriã ita sit dictus, quòd Liber ibi à Ioue genitus. Nec enim vlla historia Liberum ibi editum asserit, & Διὸς τέκνωσις, ipsius potiùs Iouis natalis est, non Liberi, vt Athenæi locus à te allatus manifestè euincit. Nec mirum Andrios Iouis sibi τεκνώσια seu natalia arrogasse; cùm ab omni æuo gentes omnes Iouis sibi incunabula vindicarint. Audi Eusebium: Φοινίκων οἱ πρῶτοι Θεολόγοι, τὴν Δία, παῖδα Κρόνου, θνητὸν ἀπὸ θνητοῦ γενόμενον, ἄνδρα Φοίνικα τὸ γένος ἀπεμνημόνευον. Αἰγύπτιοι δὲ ἐξοικειούμενοι τὴν ἄνδρα, θνητὸν πάλιν αὐτὸν ὡμολόγουν κατὰ τοῦτό γε Φοίνιξιν ὁμοφωνοῦντες. ἀλλὰ καὶ Κρῆτες τάφον τοῦ Διὸς παρ' ἑαυτοῖς δεικνύντες, τρίτοι ἂν εἶεν τῶν αὐτῶν

Euseb. l. 3. Præparat. Euãg. c. 3.

μάρτυρες. καὶ Ἀτλάντιοι δὲ, καὶ πάντες οἱ πρὸ τούτου δεδηλωμένοι κατ' οἰκείαν ἱστορίαν ἐξοικειούμενοι τὴν Δία, πάντες ὁμοῦ θνητὸν ἀπεφήναντο. *Vetustissimi Phœnicum Theologi Iouem Saturni filium, mortalem ex mortali, & ex Phœniciâ originem traxisse affirmabāt. Hæc eadem Aegyptij numquam negarunt, præterquam quòd ab Aegypto fuisse oriundum contendunt. Cretenses quoque suum fuisse Iouem asserentes, sepulchrum eius magnificè constructum, apud se ostendunt. Atlantij enim, & ceteri omnes qui apud se Iouem natum fuisse asserunt, mortalem numquam negarunt.*

Non displiceat fortè alicui Pintiani lectio, qui è duobus suis manuscriptis, Toletano & Salmanticensi, citat, *Dies Theodosia vocatur.* Cui conspirat ms. noster Antuerpiensis, nisi quòd habeat *Theodesia* pro *Theodosia.* Asserit igitur, eâ lectione receptâ, Plinius, diem illū Nonarum Ianuariarū, quo tam largiter Dei dono vinum inundabat, dictū *Theodosia.* Et quidem Hesychio Θεοδόσια, ὑπὸ θεοῦ δεδομένα. *Theodosia, quæ à Deo donantur.* Sic apud eumdem Θεοξένια, κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς. *Toheoxenia, cōmunis omnibus Diis solemnitas.* Et apud Pausaniam Achaicis *Theoxenia* ludi in honorem Apollinis Theoxenij. Sic Hesychio Θεοίνια, θυσία Διονύσου Ἀθήνῃσι· καὶ θεὸς Θεοίνιος, Διόνυσος. *Theœnia, sacrificium Bacchi*

Hesych. Lexic.

Hesych. Lexic.

apud

apud Athenienſes: & Deus Theænius, Bacchus.

Suidæ Θεοίνια. Τὰ κατὰ δήμου Διονύσια, Θεοίνια ἐλέγοντο· ἐν οἷς οἱ γυμνῆ) ἀφέθυον. τὸ γὰρ Διόνυσον Θέοινον ἔλεγον. *Theænia, ſingulorum municipiorum Bacchanalia ſic dicebantur, in quibus Curiales ſacrificabunt. Nam Bacchum* Θέοινον, *id eſt, Vini-deum vocant.* Suid. Lex.

Quia tamen duo manuſcripti, quibus vtor, quorum alter vetuſtiſſimus & præſtantiſſimus, à D. Caucio Canonico Vltraiectenſi mihi perbenignè communicatus, conſtanter *Dies Theodeſia* præferũt, ſuſpicari quis poſſit, eo die feſtum agi in memoriam vincti Bacchi, quaſi Θεοδήσια vel Θεοδέσια. De quâ Bacchi vinctione habes apud Stephanum de Vrbibus in Δαμασκὸς, vbi Aſcus cum Lycurgo dicitur δήσας τὸν Διόνυσον, *vinciens ſeu ligans Bacchum.* & apud Iulium Firmicum de errore prof. rel. Nec mirum Bacchi vincti memoriam agi, cùm apud eumdem Firmicũ Bacchi à Titanibus diſcerpti annuum ſacrum trieterică conſecratione celebretur. Steph. de Vrb. Iul. Fir. de err. prof. rel.

Quamquam, ne quid diſſimulem, *Dies Theodeſia* iungitur in vtroque meo manuſcripto cum ſequenti ſententiâ, cuius coniunctionis etiam Hermolaus Barbarus monuit. Atque ita epitheton Stygis eſſe poſſit δυσθεοδήσια, *dyſtheodeſia*, quod poſteà deprauatũ ſit in *Dies Theodeſia*, vt tota Plinij ſen-

tentia ita concipiatur: *In Andro insulâ, templo Liberi Patris, fontem Nonis Ianuariis semper vini sapore fluere, Mutianus ter Cos. credit. Dystheodesia vocatur iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, nec odore differens nec colore, epota illicò necat.* Certè δυσθέους, *impios & periuros*, aqua Stygis est δήσας *ligans*. Meminit Hesiodus in Theogoniâ, vbi periuros veterno obligari, si ex Styge biberint, canit:

Hesiod. Theog.

Ἡ δὲ μί' ἐκ πέτρης προρέει, μέγα πῆμα θεοῖσιν.
Ὅς κεν τὴν ἐπίορκον ἀπολείψας ἐπομόσσῃ
Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,
Κεῖται νήϋτμος τετελέσμενον εἰς ἐνιαυτόν·
Οὐδέ ποτ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἄσσον
Βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται* ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος,
Στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι, κακὸν δ' ἐπὶ κῶμα καλύπτει.

Supplicium Superis de petrâ profluit vna,
Quam si quis Diuûm superorum peieret, horum
Queis domus incolitur præcelsa niualis Olympi,
Bis senos iacet infelix ex ordine menses,
Nectare & ambrosiâ simul abstinet; inq́ grabato
Non spirãs mutusq́ iacet, vinctusq́ veterno.

Atque hæc obiter dicta sunto de Plinianæ lectionis varietate, si quis fortè vel melioribus adiutus libris, vel ingenij dexteritate verita-

ritatem aliquando eruat. Ego cuiusque crisi non valdè fidendum iudico, & timidè hanc coniecturam propono. Maior mihi fides incorruptis libris.

CASAVBONVS. Malè etiam in hoc album refertur Lynceſtis aqua, Vitruuio, Sotioni, & aliis antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus commemorata. Adde, quòd licet illi Tertullianus vinoſam venam attribuat; & cùm ipſe aduerſus Valentinianos, tum etiam Plinius, ſcribant ebrios effeciſſe; Græci tamen illam aquam inter ὀξιζούσας, & Latini inter acidulas referunt, quo ſapore aquas à vinoſis diſtinguunt iidem. Et iam olim multis locis venas eiuſmodi fuiſſe obſeruatas, oſtendunt iſta Vitruuij: *Item ſunt nonnullæ acidæ venæ fontium, vt in Lynceſto; & in Italiâ Virena, Campana Teano, aliiſq; locis pluribus.* Vitru. l. 8. c. 3.

ROSVVEYDVS. Quid hîc dicam? Vel ipſa Baronij verba adduxiſſe, te refutaſſe eſt.

„ Meminit inſuper Tertullianus, ait Baro- Tertull. lib. de Animâ, c. 50.
„ nius, de Lynceſtis quoque in Macedoniâ ve-
„ nâ vinoſâ, ſed diuerſâ ab aliis nuper dictis,
„ quippe quæ aceti potiùs quàm vini ſaporem
„ redderet: de quâ Plinius: *Lynceſtis aqua, quæ* Plin. lib. 2.
„ *vocatur acidula, & vini modo temulentos fa-* cap. 103.
cit. Viden' vt Baronius manifeſtè Lynceſtem aquam inter acidulas ſeu ὀξιζούσας refert,

fert, & à fontibus vinosis, Epiphanio Plinioque memoratis, seiungit? Et sanè veteres, qui Lyncesti meminêre, vini illi quidem proprietatem tribuunt quoad inebriationem, non verò quoad vini saporem. Ouidius Metamorphosi:

Ouid. Metamorph. 15.

Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

Seneca l. 3. c. 20. qq. natur.

Quæ ex Ouidio citata etiam apud Senecam habes: Non vinum bibit, qui Lyncestem aquam bibit; non enim merum vinum est, nam differt sapore: haud aliter tamen Lyncestis potor titubabit, ac si merum bibisset vinum. De eiusdem Lyncesti aquâ, quam ipse per Macedoniam designat, intelligendus Val. Maximus: *Ne ipsa quidem omnis bonæ malæq; naturæ fecunda artifex natura rationem rerum reddiderit, quare alteram in Macedoniâ, alteram in Caleno agro aquam proprietatem vini, quâ homines inebrientur, possidere voluerit.* Tertullianus aduersus Valētinianos: *Vt & Lyncestarum inde* (aqua) *defluxerit, quæ ebrios efficit.* Idem libro de Animâ: *Legimus quidem pleraque aquarum genera miranda. Sed aut ebriosos reddit Lyncestarum vena vinosa, aut lymphaticos efficit Colopho-*

Val. Max. l. 1. c. 8.

Tertull. contra Valent. c. 15.

Idem lib. de Animâ, c. 50.

Colophonis scaturigo dæmonica, aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata. Vinosam dicit Tertullianus Lyncestis aquam, non ratione saporis, quem acidum potiùs auctores omnes ei tribuunt; sed quòd vim habeat temulentiam inducendi. Lyncesti quoque vt aciduli & temulentiam inducentis meminit Theopompus: Ἐν Λυγκήστῳ φησὶ πηγὴν εἶναι τῇ μὲν γεύσει ὀξίζουσαν, τοὺς δὲ πίνοντας μεθύσκειν. *In Lyncesto fontem esse aiunt sapore quidem acidulum, sed qui potantes tamen inebriet.* Similis virtutis & alibi meminit idem Theopompus: Θεόπομπος δέ φησι καὶ τὸν Ἐργάνην ποταμὸν ὀξὺ εἶναι ὕδωρ, καὶ τοὺς πίνοντας αὐτὸ μεθύσκειν, καθάπερ καὶ τὸν οἶνον. *Theopompus scribit, iuxta fluuium Erganem, acidam aquam esse, quæ perinde ac vinum temulentos reddit.* Et ipse Athenæus: Πολλαχοῦ δ' εἰσὶ κρῆναι αἱ μὲν ποτιμώτεραι, καὶ οἰνοδέστεραι, ὡς ἡ περὶ Παφλαγονίαν, περὶ ἣν φησὶ τοὺς ἐγχωρίους ὑποπίνειν προσιόντας. *Multis in regionibus aqua fontium potui gratior est, quia vinosior, sicut eius quæ in Paphlagoniâ, vt aiunt, indigenas ad bibendum confluentes inebriat.*

Theopõp. apud Ath. lib. 2.

Athen. lib. 2.

Atque hæc de vinosis fontibus nunc satis dicta sunto, vt recta Baronij mens, praua Casauboni animaduersio, nec Baronium nec veteres auctores intelligẽtis, eluceſceret.

TABV-

TABVLA V.

An Hieronymus à Romano Pontifice ducatum fidei petat, quia ipse Presbyter erat Romanus? Petit, quia Romæ Cathedra Petri, quia Romæ fides Apostolico ore laudata, quia Romæ fides incorrupta. Varia Casauboni errata, & ineptiæ Grammaticæ. Philosophiæ eius insigne specimen.

Exerc. 16. cap. 136.

CASAVBONVS. Veniamus ad tertium Hieronymi locum ex epistolâ ad Damasum: *Petri successori qui non communicat, Christi non est, sed Antichristi.* In summâ Orientis perturbatione, quum pleraſque Arianismus occupasset, venit in Syriam Hieronymus. Paullò pòst Ecclesiæ Antiochenæ Antistites (illi Ecclesiæ tres præerant eo tempore, Paulinus, Meletius, Vitalis: duo priores, orthodoxi; tertius, Apollinaris sectator:) ab eo exegerunt trium hypostaseων confessionem. Erat adhuc illa vox noua, & propter nouitatem multis suspecta. Itaque pium virum suspicio incessit, latêre aliquid fraudis: *Nouellum*, inquit, *à me homine Romano nomen exigitur.* In tantâ dubitatione Damasum Pontificem Romanum consulit Hieronymus: & meritò. Nam quem potiùs consu-

consuleret, homo præsertim Latinæ linguæ, & Presbyter Romanus?

ROSVVEYDVS. Quam tu hîc nubem Romanæ fidei, veritati prætendis Romanæ? Dissidebat opinionibus Oriens, & dubius hærebat Hieronymus, quam ex iis amplecteretur. Quid in hac perplexitate Hieronymus? ad Cathedram confugit Petri, Petri consulit successorem, Romanum adit Antistitem. Sed cur inter tot Antistites vnum adit Romanum? Quia, inquis Casaubone, Hieronymus *Presbyter erat Romanus*. Imò verò Romanus Presbyter fuit numquam; & cùm iam Romæ ante profectionem in Syriam ageret, ne Presbyter quidé erat. Vtriusque rei non alium testem producam, quàm ipsum Hieronymum, vt intelligas quàm parum pensiculatè Hieronymum legeris, & quàm sedula tibi Nouatori cura sit nouas caussas, cur Romanum Hieronymus adierit Pontificem, fingendi, & posteris persuadédi.

Latitabat Hieronymus, postquam iam in Syriâ monachi tyrocinium egerat, in suo Bethleëmitico monasterio, non redactus in ordinem Presbyterij Ierosolymitani, atque ita tredecim ibi annos vixerat. Intereà Ioannes Ierosolymorum Episcopus Origenistis visus fuit fauere: ob hanc caussam ab eo dissidebat Hieronymus. Caussatus est Ioannes,

non

non fidei caussâ dissidere Hieronymum, sed ordinationis; quòd cum quibusdam sociis nollet Ecclesię subiici Ierosolymitanæ. Tuetur se Hieronymus, non esse se Presbyterum Ierosolimytanæ, sed Antiochenæ Ecclesiæ. Quòd si de Pauliniano fratre suo sermo sit, & ipsum alterius Ecclesię esse Presbyterum.

Hieron. aduers. errores Ioan. Ierosolym. epist. 61. ad Pam.

Sin autem (ait Hieronymus) *de Pauliniano tibi sermo est: vides eum Episcopo suo esse subiectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non vt tuum, sed vt alienum; eius videlicet, à quo ordinatus est. Quòd si hîc etiam esse voluerit, & in exilio nostro quietus in solitudine viuere: quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis? Fac à te ordinatum: idem ab eo audies, quod à me, misello homine, sanctæ memoriæ Episcopus Paulinus audiuit: Num rogaui te vt ordinarer?* Habes igitur, in fidei controuersis non Romam consuluisse Hieronymum, quia Presbyter eius Ecclesiæ tunc erat, cùm ordinatione fuerit Antiochenus, nulli tamen certę Ecclesiæ astrictus.

Iam verò ne Presbyterum quidem tunc fuisse Hieronymum, cùm è Syriâ ad Damasum scriberet, vel inde colligi potest, quòd Româ post Baptismum recedens, vbi non optimè vixerat, vt ipse testatur, ad eremum se Syriæ receperit, & voluntario se carcere damna-

damnauerit: *Et quia*, inquit, *pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat.* Et sequenti epistolâ: *Ego Christi vestem in Romanâ vrbe suscipiens, nunc Barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam, quid mererer ipse constitui.* Et epistolâ præcedenti causſam exprimens, cur Romam de fide consulat, ait, *Inde olim Christi vestimẽta susceperi*, expressurus vtique, si Romanæ Ecclesiæ Presbyter fuisset, Romanum suum Presbyteratũ. Accedit, quòd ipse Hieronymus, dum Româ in Syriam venit, triplici capite districtam Antiochenam inuenit Ecclesiam, ita vt quisque Hieronymum sibi adsciscere satageret; *in tres*, inquit, *partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat.* Sed nulli parti communicauit Hieronymus, priusquam à Damaso, cui communicandum esset, doceretur. doctus igitur à Damaso communicauit Paulino, & ab eo posteà Presbyteratu vel inuitus, vel nulli certè se Ecclesiæ astringens, initiatus est.

Hieron. ep. 57. ad Damasum.

Idem ep. 58. ad Damasum.

Ibidem.

Quid, quòd ipse se monachum iam antè fuisse, quàm ordinaretur, disertè asserit? vt nulla suspicio esse possit, iam Presbyterio insignem ad eremum accessisse. Nam cùm à Paulino Antiochiæ Episcopo ordinibus initiandus esset, protestatus est, monachi pro-

fessionem se nolle deserere, sęcularibus nolle implicari negotiis ; ita se ordinationem admittere , ne tamen sæculo redderetur. Quem Paulinum, dum ipse vrget fortè Hieronymum , vt in Ecclesiâ Antiochenâ Presbyterij munere fungeretur , ita alloquitur Hieronymus : *Num rogauite, vt ordinarer? Si sic Presbyterium tribuis , vt monachum nobis non auferas : tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine Presbyteri tollis mihi , propter quod sæculum dereliqui : ego habeo quod semper habui : nullum dispendium in ordinatione passus es.* Non igitur in fidei dubio Romanum Pontificem consuluit Hieronymus, quòd ipse *Presbyter Romanus* esset , cùm eo tempore ne quidem Presbyter , multò minùs Romanus esset.

Hieron. aduers. errores Ioan. Ierosol. ep. 61. ad Pam.

Quam igitur caussam huius consultationis dicemus , cùm tam procul in Syriâ abesset Româ Hieronymus ? quem *nec vastitas*, vt ipse ait , *elementi liquentis , & interiacens longitudo terrarum, à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere?* Audiamus ipsum Hieronymum : plurimùm enim hîc οἰκοθεν μάρτυς valet, ne fictionibus locus detur: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam , & desuper textam , minutatim per fusta discerpit , & Christi vineam exterminant vulpes ;*

Hieron. ep. 57.

Idem ep. 57.

Ioan. 19.

Cant. 2.

vt

vt inter lacus contritos, qui aquam non ha- Ierem.2.
bent, difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille Cant.4.
concluſus ſit, poſſit intelligi: ideò mihi cathe-
dram Petri, & fidem Apoſtolico ore lauda-
tam, cenſui conſulẽdam, inde nunc meæ animæ
poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimen-
ta ſuſcepi, &c. *Vbicumque fuerit corpus, illuc* Luc.17.
congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole
malâ patrimonio, apud vos ſolos incorrupta
patrum ſeruatur hereditas. Ibi ceſpite terra
fecundo, Dominici ſeminis puritatem centeno
fructu refert: hîc obruta ſulcis frumenta in lo-
lium auenasq; degenerant. Nunc in Occiden- Iſa.14.
te ſol Iuſtitiæ oritur: in Oriente autem Luci-
fer ille, qui ceciderat, ſupra ſidera poſuit thro-
num ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, Matth 5.
vos aurea vaſa & argentea: hîc teſtacea vaſa
vel lignea, virgam ferream & æternum oppe-
riuntur incendium.

CASAVBONVS. Ait Hieronymus, *Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ*: Epiſcopos Occidentis intelligit, inter quos Damaſus eminebat. Non ſolum autem Damaſum intellectum fuiſſe ab Hieronymo, declarant præcedentia verba: *Nunc in Occidente ſol Iuſtitiæ oritur*: quæ de omnibus Occidentis Epiſcopis orthodoxis neceſſariò accipi debent, non de vno Damaſo; alioquin dixiſſet potiùs, *in vrbe Româ*, quàm *in Occidente*: & multò ma-

gis sequentia verba id suadent: *Vos aurea vasa & argentea: hîc testacea vasa vel lignea.* Sicut dubitari non potest, quin vasa testacea & lignea sint Prępositi Ecclesiarũ Orientis: sic certum est, vasa aurea & argentea esse Præpositos Ecclesiarum Occidentis, nõ Damasum dumtaxat: de quo solo si sensisset, cur illum *vasa* potiùs quàm *vas* dixisset? Sic enim Paulus ipse *vas electionis* appellatur.

ROSVVEYDVS. Argutari, ineptire in re manifestâ non lubet. Ad vnum Damasum scribit, ab vno Damaso subsidium petit, ab Occidente lucem exspectat. Cur, quæso, quia Occidentis meminit, omnes vis Occidentis Episcopos orthodoxos intelligi? Vide quî alibi, cùm Occidentis, cùm Ægypti meminit, vnum tamen Damasum Romanum, vnum Petrum Alexandrinum intelligit Antistitem. Fidei suæ rationẽ Marco Celedensi Presbytero reddens, ait: *Si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticũ cum Aegypto, hoc est cum Damaso Petroq; condemnẽt.* Quin hîc pariter glossam appingis; quia vnũ Damasum, vnum Petrum exprimit, debuisse potiùs dicere, cum *vrbe Româ*, item, *cum Alexandriâ?* Pudet pigetq; harum ineptiarum.

Hieron. ep. 77.

Iam verò de *vasis* quòd addis, egregium te Grammaticum præstas, vt nullam tibi iniuriam fecerit noster Eudæmon Ioannes, qui

qui te hoc titulo ornauit. Sed intereà Rhetoribus ridendum te propinas. Nosti solemne illud: *Oratores visi sumus*. Etenim siue per *Occidentem* & *vasa* omnes Occidentis Catholicos Episcopos, an vnum intelligas Damasum, Occidentis caput, nihil ad caussam tuam facit. Certum est, Hieronymum totâ hac epistolâ laudare Damasum, extollere Romanam Ecclesiam, Româ consilium, à Damaso fidei rationem petere. Satin' clara quæ sequuntur? *A Sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito*: & ne dimittas pastor ouem, vt de se ait ep. LVIII. morbidam contemnat, addit: *Faceſſat inuidia, Romani culminis cedat ambitio: cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor*. Pergit clariùs Romanam Ecclesiam describere: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arcâ Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Quis hîc sanus dubitabit, Hieronymum Romam confugere, Cathedræ Petri communione consociari, quia sciebat super illam petram ædificatam Ecclesiam? Sed hîc iterùm ad nænias suas confugit Grammaticus.

Hieron. ep. 57.

Idē ep. 58.

Idē ep. 57.

CASAVBONVS. Opponit Hieronymus

mus hæc duo inter se, quod summopere notari debet, *sequi*, &, *communione consociari*. Sequimur, quos agnoscimus magistros, & à quorum auctoritate fidem scimus pendere: quod ius vni Christo proprium est, exclusis omnibus, nemine mortalium excepto. Nam ipsi Apostoli non suam doctrinam prædicarunt, sed quam acceperant à Christo, vt ait Paulus; & se ministros gesserunt, nõ auctores fidei. Obseruatu digna est locutio Hieronymi: *Ego nullum primum nisi Christum sequor*. Quid ais vir magne? Tu solum Christum primum sequeris? & hoc audes ad Romanum Papam scribere? Ignorabas videlicet potestatem huius Vice-Dei, *cuius est vnius nomen in terris*, ait Hildebrandus dictatu decimo, qui in fide errare non potest. *Quia Romana Ecclesia numquam errauit, nec in perpetuum, Scripturâ testante, errabit*, teste eodem Hildebrando, sententiâ XXI. qui est solus Rex & Imperator Ecclesiæ, ac propterea *solus potest imperialibus vti insignis*; docente eodem, sententiâ VIII. Húnccine Monarcham Ecclesiæ dedignabitur aliquis sequi primum? & tamen istud de se scribit Hieronymus sine ambagibus, idque in epistolâ ad Papam.

ROSVVEYDVS. Ergóne rursus tuas, Grammatice, sectabimur ineptias? Vide nouam

uam rationem concertandi. Vicimus hactenus Hieronymi sensu ac sententiâ, nunc ad formulam & phrasim itur, iam & eâ quoque vincendum est. *Sequimur*, inquit Casaubonus, *quos agnoscimus magistros, & à quorum auctoritate scimus fidem pendere: quod ius vni Christo proprium, exclusis omnibus, nemine mortalium excepto.* Ex ore tuo iudicet te orbis vniuersus, nouellæ conditor Grammaticæ, nouellæ auctor Theologiæ. Ipsum Hieronymum hac ipsâ, quam excutimus, epistolâ loquentem audi & sequere: *Collegas tuos Aegyptios confessores* SEQVOR, *& sub onerariis nauibus parua nauicula delitesco.* Hieron. ep. 57.

Ambrosius lib. III. de Sacram. cap. I. *In omnibus* SEQVI *cupio Ecclesiam Romanam.* Ambr. l. 3. de Sacr. c. 1.

Theodoretus epistolâ ad Leonem Papam: *Ego autem Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam: & supplico, & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi appellanti iustum vestrum & rectum iudicium, opem ferat, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam, vestigia Apostolica* SEQVENTEM. Theodoret. ep. 113

Idem epistolâ ad Dioscorum Episcopum Alexandriæ: *Sanctorum Patrum vestigia* SECVTVS *prompto sum animo, & precibus incumbo, & Euangelicam doctrinam, quam summatim tradiderunt, qui in Nicæâ Bithyniæ conuenerunt sanctissimi Patres, tueri & conser-* Idem ep. 83.

uare ſtudeo integram. Piget conſectari voculas. Vnus ſibi ſufficit Hieronymus: qui in Syriâ exiſtens inter diſcrepantes de Trinitate ſententias, Chriſtum quidem ſequens, & etiam tum Romanę Cathedræ conſociatus, quærit à Damaſo, quam ſententiam eligere debeat: & dum reſponſum exſpectat, ait ſe intereà SEQVI *confeſſores Aegyptios.* Quid hîc quæſo SEQVI? Non Ægyptiorum confeſſorum exemplo ſanam doctrinam amplecti; in eam ſententiam ire, in quam ipſi Romanæ Eccleſiæ magiſterio & auctoritate abibant?

Omnes, quotquot toto orbe ſunt diuerſæ opinionis & ſectæ hæretici, Chriſtum ſe ſequi, eius ſe veſtigia legere clamitant. Accedat ex nouo orbe gentilis quiſpiam, tenuibus quibuſdam diuini luminis igniculis excitatus, rogetque quem fidei auctorem ſequi debeat? vnanimi voce, Chriſtum, dicent omnes, dicent ſinguli. Sed vbi verum Chriſtum ille inueniet, vbi inueſtigabit? Ad Scripturas ibit? non eas intelliget. Sequetur ductores hæreticos? ducent eum ad Chriſtum, non Chriſtum. Quid hîc faciet homo dubius, homo perplexus? Primo hoc principio poſito, quod plerique omnes admittunt, ſuper Petrum fundatâ Eccleſiam, Cathedram Petri inquiret, & eam ductante antiquitate totâ,

totâ, Romæ inueniet. Sequetur igitur totam prę euntem antiquitatem, sequetur Romam, & Christum sequetur. Profectò si cuiusque captui relinquitur sequi Christum, iam tot Christos habebis, quot capita. Sequamur igitur cum Hieronymo, cum Ambrosio, cum Theodoreto, imò cum totâ antiquitate Romanam Ecclesiam, & indubiè pressis vestigiis Christum sequemur.

Atque hactenus de Grammaticâ tuâ ratione. Videamus nunc Philosophiam tuam, an mineruali tuo suus fructus respondeat, an otiosus sederis, & scamnum frustrà triueris. *Opponit*, inquit, *Hieronymus hæc duo inter se, quod summopere notari debet*, SEQVI & COMMVNIONE SOCIARI. Dic sodes, quo oppositionis genere hæc opponuntur? Consule tuum Aristotelem, qui ex tuâ Bibliothecâ dicitur accuratior (credo γραμματικότερος) prodiisse. Hic in Postprædicamentis quatuor oppositorũ genera ponit. Ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς ἐναντία, ἢ ὡς στέρησις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις. Aristot. Categor. c. 11

vel vt lib. v. cap. x. Metaphys. habet, τὰ πρός τι, τ' ἀναντία, στέρησις καὶ ἕξις, ἀντίφασις: quæ verbis suis schola Dialecticorum vocat: *Relatiua, Contraria, Priuatiua, Contradictoria*. Idem Metaph. l. 5. c. 10.

Tu hic omnem tuam, si quę vmquam in te fuit, Philosophiam aduoca, & tua oppositа ad aliquod horum gene-

rum reducas, & Philosophus mihi eris. Sed hoc tuo oppositorum genere, Rami Dialecticam si auxeris, næ tu Caluinianæ doctrinæ fructum feres vel maximum.

Quòd si nondum sensus Hieronymi liquet, excutiamus eum accuratiùs, & verba eius sequentia appendamus. Sequebatur in omnibus Christum Hieronymus, vt & omnes Pontifices & veri Catholici; sed ortâ quæstione de vnâ an tribus hypostasibus, sollicitatusque ab Arianorum Antiochiæ Præsule tres hypostases prædicare; non habebat quem sequeretur Christum, qui nihil tale clarè expressérat, sed nec Apostolicis id consignatum erat litteris: *Nunc*, inquit, *prô dolor! post Nicænam fidem, post Alexandrinam, iuncto pariter Occidente decretum, trium hypostasεων ab Arianorum Præsule & Campensibus, nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæso, ista Apostoli prodidêre? quis nouus magister gentium Paulus sic docuit?* Quid hîc faciet Hieronymus? quem sequetur, non Christo, non Apostolis præuiis? Vnum sequitur, vnum sequetur simili in re quisque Catholicus Romanum Pontificem. *Discernite*, inquit Damaso, *si placet, obsecro: non timebo tres hypostases dicere, si iubetis*. Et concludens cum vehementi obtestatione, vt à Damaso responsum impetret;

Hieron. ep. 57.

Idem ibid.

petret: *Quamobrem obtestor Beatitudinẽ tuam per Crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, vt mihi epistolis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseων detur auctoritas*. Non hîc totius Occidentis iudicium requirit Hieronymus, non Concilium conuocari flagitat; vnius illi Damasi, vnius Romani sufficit Pontificis auctoritas: adeò vt etiam post Nicænam Synodum, quæ nihil de tribus hypostasibus definiuerat; antiquatoque Ægypti Occidentisque decreto, quo Latinis libertas *personarum* nomine vtendi, Græcis *hypostaseων* concedebatur; si ita Pontifex iubeat, tres hypostases, Hieronymus homo Latinus, paratus sit dicere.

Cùm verò vel rescribere distulisset Damasus, vel errore baiulorum non peruenissent ad Hieronymum Damasi litteræ, & in tres partes scissa Ecclesia Antiochena, ad se quæque rapere Hieronymum festinaret, in triuio constitutus exclamat: *Si quis* CATHEDRÆ PETRI *iungitur, meus est.* Hieron. ep. 58.

Sed obtendebant singularum partium Antistites, Romanę Cathedrę nomen. Adeò semper Oriens Occidentem adorauit, Antiochia Romam suspexit: etiam hæresis Romanæ Ecclesiæ nomen vel affectauit, vel æmu lata est. Quid hîc Hieronymus? *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt.* Idem ibidem.

cunt. Possem credere, si hoc vnus assereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Quid intereà Hieronymus? quid? *Ego interim clamito, si quis* CATHEDRÆ PETRI *iungitur, meus est.*

Atque hac ipsâ iteratâ scriptione, vt litteras à Damaso eliciat, ingeminat preces, obtestationem intendit: *Obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, vt qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito. Ita in solio cum Duodecim iudicaturus sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat, ita municipatum cæli cum Paulo consequaris; vt mihi litteris tuis, apud quem in Syriâ debeam communicare, significes: noli despicere animam pro quâ Christus mortuus est.* Audísne æstuantem Hieronymum, ne cui temerè in Syriâ sine Romani Pontificis iussu communicet? Verebatur sanè, ne Christum non sequeretur, ne Christo excideret, nisi Romani Pontificis Sedi quàm arctissimè adhæsisset.

Hieron. ep. 58.

Et verò quis non miretur, D. Hieronymum peracri præditum ingenio, linguarum peritiâ instructum, multiugâ eruditione celebrem, ipso haud dubiè Damaso doctiorem (quippe quem Damasus tot Scripturarum quæstionibus compulsarit, & à quo tot elicuit responsa; adeò vt ipse Hieronymus os, calamusque Damasi dici posset) quis, inquam,

inquam, non miretur, cùm de fidei iudicio agitur, Hieronymum recurrere ad Damasum, & omne illi iudicium tribuere, omne sibi præiudicium derogare? Etiam Damasum monens, Damasum instruens, eius tamen se subdit iudicio: *Si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: sed, mihi credite, venenum sub melle latet.* Vides igitur, vt ab vnius Damasi iudicio, ab vnius Damasi auctoritate, quid sequi debeat, pendeat Hieronymus. Hieron. ep. 58.

Mirum verò tam delicati te esse stomachi, qui VICE-DEVM, cùm à Põtificiis tibi de Pontifice proponitur, concoquere non possis, cùm tamen ad hæc Criticorum scitamenta, cùm DEVS, cùm DIVI è Criticorum grege quipiam proponuntur, minimè stomachus tuus nauseet. Legistin' de Scaligero, amico tuo, ab amico Lipsio dictum? *Genus* DEORVM. An excidit illud, quod quidam è vestris? Lipſ. ante Sat. Menipp. Heinſ. l. 1. eleg. 1.

Iam mihi Burdenos mẽs est deducere DIVOS,
Haud capiunt tantos sæcula nostra DEOS.
O animæ, ô DIVVM *genus, Hunniadumq; nepotes.*

Meministin' poëtam cecinisse?

Scaliger ille DEVS, *qui multa emendat & auget.*

Et

Et tamen quis iſte Scaliger? Vt non omnino malum eum fuiſſe Philologum negari non poſſit, cùm tamen toties Patroclianas ſellas, cùm Stercutios, cùm Cloacinas ſcripta eius oleant, facilè ipſe ſe prodit, ex quorum Deorum genere fuerit. Nulla intereà hîc Criticis nauſea oboritur, cùm oris tam impuri homo DEVS vocatur: mellea hęc nomenclatio, & ſeſamo ſparſa: at verò cùm Pontifex à quopiam VICE-DEVS dicitur, ſtatim mollicellis, delicatulis Criticis ſtomachus euertitur. O homines peruerſi iudicij, ſtomachi peruerſi!

Atque hac Talionis Retalioniſque tabulâ iam defungi poteram, cùm & CRASSAM IGNORANTIAM tuam in hiſtoriis, FRAVDEM in Philoſophicis & Grammaticis, omnium oculis, ni fallor, palàm expoſuerit. Sed quia duplicem duplicis hiſtoriæ ignorationem tuam initio tabulæ huius prodis; cùm & Hieronymum in fidei dubio Romam vis confugiſſe, quia Preſbyter erat Romanus, quod ipſo auctore, ipſo teſte ibi refutauimus; & eumdem aſſeris, ad trium hypoſtaſεων cõfeſſionem, ſollicitatum à tribus Epiſcopis, Meletio, Paulino, Vitale, id verò preſſiùs nunc examinandum venit: tum ad eorum quæ antè dicta ſunt lucem, tum vt ἀνισορησία tua omnibus euadat manifeſtior.

Ac

Ac in primis meminisse oportuit, grauem olim Orientis inter & Occidentis Episcopos ortam fuisse contentionem, an in Trinitate tres hypostases, an verò tres personæ agnoscendæ essent, quorum prius Orienti, posterius Occidenti placuit. Ac tandem arbitro Athanasio ita inter eos conuenit, vt cùm paria sentirent, nominum tamen vsus vtrique parti liber remaneret. Rem clarè describit Nazianzenus: Τῆς μιᾶς οὐσίας, καὶ τῶν τριῶν ὑποστάσεων λεγομένων μὲν ὑφ' ἡμῶν εὐσεβῶς· τὸ μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ τῆς θεότητος, τὸ δὲ τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας· νοουμένων δὲ καὶ παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς ὁμοίως, ἀλλ' οὐ δυναμένοις διὰ στενότητα τῆς παρ' αὐτοῖς γλώττης καὶ ὀνομάτων πενίαν, διελεῖν ἀπὸ τῆς οὐσίας τὴν ὑπόστασιν, καὶ διὰ τοῦτο ἀντεισαγούσης τὰ πρόσωπα, ἵνα μὴ τρεῖς οὐσίαι παραδειχθῶσι, τί γίγνεται; ὡς λίαν γελοῖον καὶ ἐλεεινόν· πίστεως ἔδοξε διαφορὰ ἡ περὶ τὸν ἦχον σμικρολογία. εἶτα Σαβελλισμὸς ἐνταῦθα ἐπενοήθη τοῖς τρισὶ προσώποις, καὶ Ἀρειανισμὸς ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσι, τὰ τῆς φιλονεικίας ἀναπλάσματα. εἶτα τί; προστιθεμένου μικροῦ τινος ἀεὶ τῆς λυποῦντος, ὃ λυπηρὸν ἡ φιλονεικία ποιεῖ, κινδυνεύει συναποῤῥαγῆναι τῆς συλλαβαῖς τὰ πέρατα. ταῦτ' οὖν ὁρῶν καὶ ἀκούων ὁ μακάριος ἐκεῖνος, καὶ ὡς ἀληθῶς ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ καὶ μέγας τῶν ψυχῶν οἰκονόμος, οὐκ ᾠήθη δεῖν παριδεῖν τὴν ἄτοπον οὕτω καὶ ἄλογον τοῦ λόγου κατατομήν· τὸ δὲ παρ' ἑαυτοῦ φάρμακον ἐπάγει τῷ

Gregor. Naz. in encom. S. Athan. orat. 21.

ἀῤῥω-

ἀῤῥωστήματι. πῶς οὖν τοῦτο ποιεῖ; προσκαλεσάμενος ἀμφότερα τὰ μέρη οὕτω πρᾴως καὶ φιλανθρώπως καὶ τὴν νοῦν τῶν λεγομένων ἀκριβῶς ἐξετάσας, ἐπειδὴ συμφρονοῦντας εὗρε καὶ οὐδὲν διεστῶτας κατὰ τὴν λόγον, τὰ ὀνόματα συγχωρήσας, συνδεῖ τοῖς πράγμασι. *Cùm essentia vna, & tres hypostases à nobis piè dicerentur, quòd alterum diuinitatis naturam, alterum personarum trium proprietates declaret, ac simili quidem modo apud Romanos intelligerentur; ceterùm ob linguæ illius angustiam verborúmque inopiam hypostasim ab essentiâ distinguere non possent, eamq́; ob caussam in illius locum personarum induxissent nomen, ne tres substantias admittere viderentur: quid tandem contigit? Res profectò ridicula, vel potiùs miseranda. Diuersæ fidei speciem præbuit leuis illa circa vocis sonum contentio. Hîc deinde alij Sabellij errori adstipulari visi sunt, quòd tres personas dicerent: alij Arij impietatem amplecti, quòd reiectis personis, tres hypostases nominarent: quorum vtrumque pertinax contendendi studium effinxerat. Quid posteà? Cùm parua, vt in contentione fieri solet, molestiæ caussa semper accederet, eò tandem res adducta est, vt periculum esset, ne orbis terrarum fines vnà cum syllabis à se inuicem distraherentur & abrumperentur. Quæ cùm beatus ille vir, & verè homo Dei, magnúsque animarum dispensator,*

oculis

oculis auribusq; perciperet, tam stultam & absurdam Orthodoxæ fidei sectionem dissimulandam ac negligendam sibi non putauit: verùm medicinam morbo quamprimùm infert. Quonam autem modo id facit? vtrâque parte leniter & humanè accersitâ, verborumq; sententiâ diligenter & accuratè perpensâ, posteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quidquam inter se dissidentes: ita negotium transegit, vt nominum vsum ipsis concedens, rebus eos constringeret.

Sed non diu hæc stetit concordia. Cùm enim Ariani iunctis Semiarianis hypostaseωs nomine abuterentur,& venenum suum hoc velut poculo propinarent, abhorruêre Latini cum quibusdam Græcis ab hoc nomine, ac in primis Hieronymus & Paulinus.

Quod igitur asseris, *Ecclesiæ Antiochenæ Antistites ab eo* (Hieronymo) *exegerũt trium hypostaseωn confessionem*, cum verâ historiâ stare non potest. Nam cùm tres, Baronium secutus, statuas eodem tempore Antiochiæ Episcopos, Paulinum, Meletium & Vitalem; duos priores, Orthodoxos; tertium, Apollinaris sectatorem: non rectè existimas, tres hos Episcopos, ab Hieronymo trium hypostaseωn exegisse confessionem. Imò verò ipse Paulinus tres hypostases dicere refugiebat. Testis Acacius Beroëënsis Episco-

Apud Cyrill. ep. 15. In Conc. Eph. parte 1. ep. 23.

pus epiſtolâ ad Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum (leui memoriæ lapſu Cyrilli ad Acacium Baronius ad annum Chriſti CCCLXXII. citat) Ὁ μακάριος Παυλῖνος ὁ ἐπίσκοπος παρητεῖτο τρεῖς ὑποστάσεις λέγειν ῥητῶς, δυνάμει καὶ ἀληθῶς ταῦτα φρονῶν, ταῦτα μετιών. ἠκολούθησε δὲ τοῖς Δυτικοῖς θεοφιλέσιν ἐπισκόποις, τῷ ἐστενῶσθαι τὴν Ῥωμαϊκὴν φωνὴν, καὶ μὴ δύνασθαι πρὸς τὴν ἡμετέραν τῶν Γραικῶν φράσιν, τρεῖς ὑποστάσεις λέγειν. *Beatus Paulinus Epiſcopus etſi tres hypoſtaſes palàm dicere recuſaret; re tamen & virtute ab eorum ſententiâ & fide, qui hoc profitebātur, non recedebat. Sectabatur hic autem piiſſimos Occidentis Epiſcopos, propterea quòd Romanæ linguæ anguſtia, ſicuti Græca phraſis, tres hypoſtaſes dicere commodè non ferat.* Exſtat Paulinianæ fidei coram

Epiphan. hær. 77.

Athanaſio confeſſio apud Epiphanium: Ἐγὼ Παυλῖνος ὁ ἐπίσκοπος οὕτω φρονῶ, καθῶς παρέλαβον ἀπὸ τῶν Πατέρων, ὄντα καὶ ὑφεστῶτα Πατέρα τέλειον, καὶ ὑφεστῶτα Υἱὸν τέλειον, καὶ ὑφεστὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τέλειον. διὸ καὶ ἀποδέχομαι τὴν προγεγραμμένην ἑρμηνείαν περὶ τῶν τριῶν ὑποστάσεων, καὶ τῆς μιᾶς ὑποστάσεως ἤτοι οὐσίας, καὶ τοὺς φρονοῦντας οὕτως. εὐσεβὲς γάρ ἐστι φρονεῖν καὶ ὁμολογεῖν τὴν Τριάδα, ἐν μιᾷ θεότητι. *Ego Paulinus Epiſcopus ſic ſentio, quemadmodum traditum accepi à Patribus, eſſe & ſubſiſtere Patrem perfectū, & ſubſiſtere Filium perfectum,*

&

& subsistere Spiritum sanctum perfectum. Quapropter etiam recipio præscriptam interpretationem de tribus hypostasibus seu substantiis, & vnâ essentiâ, itemq; eos, qui sic sentiunt. Pium est enim sentire ac confiteri Trinitatem in vnâ Deitate. Vbi etsi Paulinus iuxta præscriptam ab Athanasio interpretationem tres hypostases admittat, palàm tamen nomine eo vti recusauit, vt iam ex Acacio vidimus: nullo modo vt dici possit, Paulinum ab Hieronymo trium hypostaseων confessionem exegisse.

Nec certiorem ipso Hieronymo testem adducere possumus, vt intelligamus, qui ab eo trium hypostaseων confessionem exegerint. Scribit igitur ad Damasum: *Nunc igitur, prô dolor! post Nicænam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseων ab Arianorum Præsule & Campensibus nouellum à me homine Romano nomen exigitur.* Et rursus epistolâ sequenti Arianos distinguit à tribus aliis Episcopis inter se dissidentibus: *Ita (ait) me inceſſabilis inimicus post tergum secutus est, vt maiora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim præsidijs fulta mundi Ariana rabies fremit; hinc in tres partes scissa Ecclesia, ad se rapere me festinat.* Præcedenti quoque epistolâ Tarsenses iungit Campensibus, ab eo tres Hieron. ep. 57. Idē ep. 58.

Hieron. ep. 57. hypostaſes exigentibus: *Campenſes cum Tarſenſibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiũt, quàm vt auctoritate cõmunionis veſtræ fulti, tres hypoſtaſes cum antiquo ſenſu prædicent.* Exegêre igitur ab Hieronymo trium hypoſtaſeων cõfeſſionem, non tres illi ſimul Epiſcopi, Meletius, Paulinus, Vitalis, vti perperàm aſſeruiſti, Caſaubone; ſed Arianorum Præſul cum Campenſibus & Tarſenſibus.

Sed quis ille hoc tempore Antiochię *Arianorum Præſul?* Vtique Euzoius, de quo Socrates: Τῶν δὲ κατ' Ἀντιόχειαν Ἀρειανῶν, ἦρχεῖτο Εὐζώϊος. *Arianorum, qui Antiochiæ erant, Epiſcopus fuit Euzoius.* Meminit eiuſdem idem Socrates, libro II. cap. XXXIV. & libro IV. cap. XXVIII. Theodoretus lib. III. cap. XXXI. Sozomenus lib. VI. cap. V. & XIX.

Socrat. l. 4. cap. 1.

Marianus Victor. ad epiſt. 57. Hier. Qui porrò hi *Campenſes*, qui *Tarſenſes?* Marianus Victorius ad epiſtolam LVII. Hieronymi, exiſtimat *Campenſes* dictos à Campis Ciliciæ, quarum Ptolomæus mentionem facit; Campaſque eam partem Ciliciæ eſſe, quæ inflexo ſinus Iſſici littore, ad oram Syriæ, quæ vicina eſt Antiochiæ, deflectit: *Tarſenſes* verò à Tarſo Ciliciæ inſigni vrbe.

Baron. tom. 4. anno 372. Baronius verò tomo IV. ad annum Chriſti CCCLXXII. per *Campenſes* Meletianos intelligit, quòd pulſi Antiochiâ in campis

pis synaxes agerent. Sozomenus certè eos extra vrbem conueniſſe refert: Ἐπανελθὼν Μελέτιος ἐκ τῆς χωρείας κεχωρισμένους εὗρεν τοὺς τὰ αὐτῷ φρονοῦντας ἰδίᾳ σὺν τούτοις ἔξω τῆς πόλεως συνηγείρειν· ὁ δὲ Παυλῖνος ἔνδον μετὰ τῶν οἰκείων. *Meletius ab exilio reuerſus, cùm ſuæ opinionis fautores ab aliis ſegregatos offendiſſet, ſeorſum cum his extra vrbem, Paulinus autem cum ſuis intra vrbem conuentus egit.* Et Nicetas Theſauri orthodoxi libro v. *Meletius extra portas ciuitatis ſynagogas ſeu conuenticula habuit, vſque ad impij Valentis Imperatoris tempora.* Inde à Valente in exilium miſſus, cùm poſt eius mortem à Gratiano reuocatus eſſet, reſtitit Paulinus, ne collega illi Antiochiæ corrogaretur. Tandem Meletio fauentes, *in Eccleſiarum ſuburbanarum vnâ in Epiſcopali cathedrâ Meletium collocant*, vt habet idem Nicetas. Per *Tarſenſes* verò Baronius ſuprà Semiarianos intelligit, à Siluano Tarſi Epiſcopo, cuius meminit Sozomenus & Nicetas.

Sozom. l. 5. cap. 11.

Nicetas Theſ. orth. l. 5. c. 24.

Idem ſup. c. 25.

Sozom. libro 6. c. 4. Nicetas Theſ. Orthod. l. 5. c. 20.

Atque hæc nunc ſufficiant ad debiti Baroniani expunctionem. A quo cùm creditor aduerſarius rationes exigit, dum ad calculos ſedetur, dum putatur, ipſe creditor multiplici debito obſtrictus tenetur; vt non iam de ſcrupulis aliquot, ſed de aſſe toto litem Euathlo Protagoras conteſtari poſſit.

TABVLA VI.

Mira Casauboni Dialectica, non distinguentis inter causſam efficientem, & finem. Crucis ſigno ab omni æuo virtus tributa. Thermæ Gadarenæ non in monte Gadaris, ſed ad pedem montis. Baronius & Ortelius propugnantur.

Exerc. 13. *cap.* 33. CASAVBONVS. De Thermis Gadarenis loquens Baronius, poſt verba Epiphanij deſcripta, quibus celebritas illarum aquarum exponitur, ad quas è Chriſtianis locis ἀνδρόγυνα, viri inquam & feminæ conueniebant, ſubijcit hæc: *Subdit Epiphanius de muliere Chriſtianâ perpulchrum exemplum, quòd ſigni Crucis virtute liberata ſit à laſciuo iuuene ſibi arte dæmonum illudente.* Negamus id dicere Epiphanium, quod dicit Baronius. Narrat ille pater, eam mulierem, vbi videt pudicitiam ſuam in periculum eſſe adductam, in nomine Chriſti ſe ſignaſſe, hoc eſt, opem à Chriſto petijſſe, facto ſigno Crucis; quod primitiuæ Eccleſiæ fuit ſymbolum eius fiducię, quam in Chriſto & Cruce ipſius ac paſſione Chriſtiani ponebant: deinde addit Epiphanius, liberatam eſſe mulierem, ἵνα δείξῃ ὁ Θεὸς τὰ αὐτῆς θαυμάσια, *vt oſtenderet ſua*

ſua mirabilia Deus. Quis negare audebit aliud hoc eſſe, quàm quod ſcribit Baronius dicere Epiphanium, *ſigni Crucis virtute*, illam mulierculam fuiſſe periculo ereptam?

ROSVVEYDVS. Adeſte, adeſte hîc, quotquot eſtis Chryſippei ſophi, & nouam argumentandi rationem, formulam nouam, nouum locorum receptaculum diſcite. Arripite ſtylum, tabulas explicate, & argumentum hoc planè efficax inſcribite:

Liberata eſt mulier, *vt oſtenderet ſua mirabilia Deus:*

Ergo nõ eſt liberata *ſigni Crucis virtute.*

Non arctè Baronium hîc ſtringit Caſaubonus? non elencho ineuitabili eum circumdat? Ergo nouo huic & tam arguto Philoſopho Σοφῶς acclamate.

Audiamus nunc Epiphanium, & videamus, an ipſe meliorem Philoſophię operam dederit, an ipſe Caſaubono an Baronio ad verum argumentandi modum præiuerit. De Thermis Gadarenis agens ait: Κατὰ συγκυρίαν δὲ γυνή τις ἐλευθέρα ἔτυχεν ἐν τῷ λουτρῷ, κάλλει διαπρέπουσα ἀμορφίας. καὶ ὁ νεώτερος θελχθεὶς τῷ ἔθει τῆς αὐτοῦ ἀκολασίας, διϊὼν ἐν τῷ ἀέρι παρενέτριψεν αὐτοῦ τὴν πλευρὰν τῇ πλευρᾷ τῆς γυναίου. ἡ δὲ ἑαυτὴν ἐσφραγίσατο εἰς ὄνομα Χριστοῦ, οἷα δὴ Χριστιανὴ οὖσα, ᾗ οὔτε ἀνάγκη ἦν παρανομεῖν, καὶ ἀνδρογυνῶς λούεσθαι. συμβαίνει δὲ

Epiphan. contra Ebion. hæreſ. 30.

ζαῦτα τοῖς ἀφελέσι καὶ ἰδιώταις ἀνθρώποις, ὧν δὲ τὴν διδασκάλων ῥαθυμίαν μὴ ἀσφαλιζομένων διὰ τὴν διδασκαλίας· ὅμως ἵνα δείξῃ ὁ Θεὸς τὰ αὐτοῦ θαυμάσια, τῆς ὁρμῆς τὸ μειράκιον ἀπέτυχε. *Forte fortunâ femina quædam libera in balneo erat formæ pulchritudine excellens: & adolescens ille proteruitatis suæ consuetudine illectus deambulans in aëre, latus suum ad feminæ latus affricuit. Illa autem signauit se in nomen Christi, vt quæ Christiana esset; cui neque necessarium erat delinquere, & inter viros ac feminas lauari. Contingunt autem hæc simplicibus & idiotis hominibus, qui per præceptorum negligentiam non sunt muniti doctrinâ. Et tamen vt ostenderet Deus sua mirabilia, adolescenti suus conatus non successit.* Inde narrat quomodo generosa femina nec muneribus inflecti, nec vllis, quas tamen maximas adolescens adhibebat, præstigiis expugnari potuerit. Pòst subdit: Οὐκ κατίσχυσαν οἱ γόητες· διὰ γὰρ τὸ σφραγῖδος τοῦ Χριστοῦ καὶ πίστεως ἐβοηθήθη ἡ γυνή. *Non præualuerunt præstigiatores: nam per signaculum Christi & fidem femina auxilium percepit.* Et mox: Οὐκ ἴσχυσεν, ἔνθα ὄνομα Χριστοῦ καὶ σφραγὶς Σταυροῦ, φαρμακείας δυνάμις. *Non valuit incantationis vis, vbi erat nomen Christi, & signaculum Crucis.* Duas hîc causſas, quibus matrona illa victòriam contra castitatis inimicum & dia-

diabolicas præstigias obtinuit, adfert Epiphanius: vnam, quam Dialectici vocant finalem, videlicet, *vt ostenderet Deus sua mirabilia*, vigore videlicet fidei Christianæ viuificiqúe signaculi: alteram, efficientem adfert causſam, quâ matrona illa instructa hostem suum superauit, videlicet *nomen Christi, & Crucis signaculum.*

Quod si cauillari pergat hæreticus, exprimi hic quidem *signum Crucis*, non tamen *virtutem* eius (quamquam quid aliud per *signaculum Christi* aliquid fieri, quàm per *virtutem* eius?) ecce locũ proximè sequentem apud Epiphanium: vbi Ioſephus Iudæus, per virtutem signi Crucis aquæ communicatam, prestigias ignis soluit, ac dispulit: Λαβὼν τὸ αὐτὸ ἄγγος τ̃ ὕδατος ἐνώπιον πάντων, μεγάλῃ τῇ φωνῇ ὁ αὐτὴρ Σαυεθῦ σφραγίδα ὑπέθηκε τῷ ἄγγει διὰ τοῦ ἰδίου δακτύλου, καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, εἶπεν οὕτως· Ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ἐσταύρωσαν οἱ πατέρες μου καὶ οὗτοι πάντων τῶν περιεστώτων, γένηται ΔΥΝΑΜΙΣ ἐν τούτῳ τῷ ὕδατι, εἰς ἀθέτησιν πάσης φαρμακείας καὶ μαγείας. *Accepto vase aquæ coram omnibus, magnâ voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu, sic dixit: In nomine* IESV *Nazoræi, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumstãtium fiat* VIRTVS *in* Epiphan. suprà.

hac aquâ, ad reprobationem omnis incantationis ac magiæ.

Plena quoque sunt Patrum scripta de Crucis signaculo testimoniis, cui nunc VIRTVTEM, nunc POTENTIAM tribuunt.

Cypr. l. 2. cap. 21. testim. adu. Iud. Abac. 3. Exod. 17. Cyprianus: *Quòd in passione Crucis & signo* VIRTVS *omnis sit &* POTESTAS, *apud Abacuc: Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena est terra,* &c. *Hoc signo Crucis & Amalech victus est ab Iesu per Mosen.*

Lactant. lib. 4. c. 27. Lactantius: *Nunc satis est, huius signi* POTENTIAM, *quantum* VALEAT, *exponere.*

Augustin. Serm. 19. de SS. Augustinus: *Omnia dæmonum machinamenta* VIRTVTE *Crucis ad nihilũ rediguntur.*

Chrysost. in epist. ad Rom. Homil. 8. D. Chrysostomus: Εἰσὶν ἡμῖν, εἰσὶν ἐπῳδαὶ πνευματικαὶ, τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὁ τοῦ Σταυροῦ ΔΥΝΑΜΙΣ. *Sunt nobis, sunt inquam nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri* IESV *Christi, tum ipsius Crucis* POTENTIA. Et iterùm: Ὅταν αὐτοῖς λέγωμεν, μεγάλη ἡ ΔΥΝΑΜΙΣ τοῦ Σταυροῦ; *Quomodo eis dicemus magnam esse* VIRTVTEM *Crucis?* Idem Oratione de Laude Dei: *Christi* IESV *Domini nostri & Crucis* VIRTVS *nostra sunt carmina, quæ non solùm draconem hunc è suis latebris educent, in ignem impingent, verùm si quæ nobis inhæserunt vlcera, sanabunt.*

Idem Homil. 8. in 3. Coloss.

Idē Orat. de Laud. Dei.

Cass. Collat. 7. c. 23. Cassianus: *Aut enim* VIRTVTE *Crucis etiam*

etiam deserta penetrante, & vbique eius gratiâ coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab impugnatione dæmonis reddit lentiores.

Euthymius: *Dæmones vel inuiti trahuntur à Crucis* VIRTVTE, *& allatrant, vt rabies eorum ostendatur.* Euthym. in Panopl. part. 2. tit. 23.

Gregorius Amantium Presbyterum hoc donum habuisse confirmat, vt quolibet loco, *quamuis immanissimæ asperitatis serpentem reperiret, mox vt eum Crucis signo signauerat, extingueret; ita vt* VIRTVTE *Crucis, quam vir Dei digito edidisset, disruptis visceribus moreretur.* Greg. li. 3. dial. c. 35.

Faustus S. Maurum, nobilem quemdam Harderadum sanantem describens: *Ante altare*, inquit, *in orationem se dedit, & diutissimè orationum precibus, suspiriis ac singultibus aures vicinæ sibi supernæ pietatis pulsans, cùm à loco, quo in modum Crucis prostratus iacuerat, surrexisset, accipiens de super altare capsulam Reliquiarum, quam illi beatus magister suus direxerat, assumptis etiam nobis, ad lectum pergit ægroti. Ibiq; rursum oratione præmissâ, salutiferum retegit lignum, & de eo à scapulâ vsque ad vngulas manuum ex omni parte signum Crucis faciens, dixit: Deus omnium conditor creaturarum, qui ad restaurationem humani generis vnicum Filium suum, operan-* Faustus in vitâ sancti Mauri, 15. Ian.

operante Spiritu ſancto, ex Mariâ ſemper virgine incarnari conſtituit, qui per hoc ſacroſanctum ac glorioſum viuificæ Crucis lignum vulneribus ac languoribus animarum noſtrarum nos redimendo ſubuenire dignatus eſt, ipſe te per VIRTVTEM *vitalis ligni huius ad priſtinam reducere dignetur ſanitatem. Hæc cùm beatus oraſſet Maurus, continuò per tria loca omnis excoctio ſanguinis, quâ brachium totum intumuerat, vehementer decurrere cœpit.*

Greg. Turon. lib. de S. Caluppâ in vit. Patr.

Gregorius Turonenſis de Caluppâ, qui duos dracones immenſæ magnitudinis videns, *ori ſignum beatæ Crucis imponit; rurſumq; conuerſus ad hydrum, pingit iterùm Crucem Chriſti, dicens: Abde nunc inimice caput, & humiliare ſub ſignaculo Crucis diuinæ. Hæc ſancto dicente, Crucemq; per ſingula faciente, draco huius vexilli* VIRTVTE *confuſus, viciſſim ſe humilians terræ ſubditur.*

Alcuin. in vitâ S. Vedaſti, 6. Februarij.

Alcuinus de S. Vedaſto, qui à proceribus ad conuiuium inuitatus, vnà cum Rege Clotario: *Domum intrans, more ſibi ſolito, dexterâ extensâ, omnia ſanctæ Crucis vexillo ſignauit. Quædam verò vaſcula ibi cereuiſiâ adſtabant plena, ſed malè gentili errore dæmoniacis incantationibus infecta, quæ mox ob* POTENTIAM *S. Crucis deſtructa crepuerunt, & quidquid liquoris habuerunt, in terram effuderunt. Territus verò Rex & optima-*

tes

tes illius, huius visione miraculi, sciscitabatur Pontificem caussam repentini prodigij: cui sanctus respondit Episcopus: Per quasdam maleficorum incantationes ad decipiendas conuiuarum animas, diabolica in his latuit liquoribus potentia: sed VIRTVTE *Crucis territa, sic inuisibiliter de domo effugit, sicut visibiliter considerastis liquorem fundi in terram.*

Balsamon quoque in Canon. 83. Epist. Basilij ad Amphilochum narrat, *omne veneficium & impostura Satanicam* VIRTVTE *& præsentiâ pretiosæ & viuificæ Crucis à fidelibus expelli.* Balsam. in Can. 83. epist. Basilij ad Amphilochū.

Atqui ob hanc toties visam, toties expertam virtutem, tot exstant Patrum de Crucis signaculo elogia, eius robur protectionemque testantia. Lactantio enim dicitur *Inexpugnabilis murus.* Ephræmo, *Insuperabilis Christianorum armatura, lorica, scutum.* Hieronymo, *Cassis & lorica fidei.* Chrysostomo, Σωτήριον ὅπλον, Ἀπὶς ἄμαχος, *Salutaris armatura, Clypeus minimè peruius.* Eidem, Μάχαιρα & ξίφος, *Machæra & gladius.* Theodoreto, *Vallum sacrosanctum & inexpugnabile.* Sedulio, *Arma cælestia.* Lactant. lib. 4. c. 27. Ephræm in Panopl. Hier. in vitâ Hilarion. Chrysost. Hom. 13. in Philip. 3. Idem Homil. 55. in c. 16. Mat. Theod. in hist. Relig. Sedul. l. 1. Pasch. c. 23

Quis nunc tot Patrum fultus testimoniis, vereatur Crucis signo VIRTVTEM tribuere? Quis Casaubonum non Baronij cauillatorem deprehendat, qui Crucis signi virtute

in

in Gadarenis balneis matronam liberatam à lasciuo iuuene scripsit, quod Epiphanius per signaculum Crucis factum asseruit?

Adeò verò non insolens olim fuit in balneis signare se signo Crucis, cùm periculum aliquod immineret, vt etiam multis hoc solemne fuerit ad omnem balneorum ingressum. Chrysostomus: Πολλοὶ ἐν βαλανείοις εἰσιόντες, ἅμα τῷ τὰς θύρας ὑπερβῆναι, σφραγίζονται. τοῦτο οἶδεν ἡ χεὶρ καὶ μηδενὸς κελεύοντος καὶ ἀπὸ τῆς συνηθείας ποιεῖν. *Multi thermas ingressi, cùm primùm fores transcenderunt signantur: hoc nouit manus vel nullo iubente, & ex consuetudine facere.*

Chrysost. Hom. 27. ad Antiochen. ex Hom. 10. in Act.

Nec sine caussâ in thermis signaculum Crucis potissimùm adhibitum, quòd in illis castitatis prædo maximè excubaret. Narrat enim Eunapius, Iamblicum cùm Gadaris esset, per discipulos ab indigenis scisscitatum, quibus iam olim nominibus fuissent donati duo è calidis fonticulis minores, sed ceteris elegãtiores venustioresque; qui responderũt, vni nomen esse Ἔρως *Amor*, alteri Ἀντέρως, *Contra amor*, vbi & duos genios pusionum specie scitulorum de fontis imo exciuit. Vt omnino verum sit, quod scripsit Tertullianus: *Immundi spiritus aquis incubant. Sciunt opaci quique fontes, & auij quique riui, & in balneis piscinæ, & euripi in domibus.*

Eunap. in Iamblico.

Tertull. de Bapt. c. 4.

Tanti

Tanti autem aquæ Gadarenæ ab antiquis habitæ, vt ſecundas poſt Baianas obtinuerint, & plurimus ad eas fuerit populorum concurſus. Μετὰ δὲ χρόνον τινὰ δόξαν αὐτοῖς ἐπὶ τὰ Γάδαρα, θερμὰ δέ ἐστι λουτρὰ τῆς Συρίας, τῶν γε* μετὰ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐν Βαΐαις δευτέρα. ἐκείνους δὲ οὐκ ἔστιν ἕτερα παραβάλλεσθαι, πορεύονται κατὰ τὴν ὥραν εἰς τὰ Γάδαρα* τῶν ἔτου· *Aliquanto pòſt tempore placuit cunctis ſtato anni tempore accedere Gadara, qui locus eſt Thermarum in Syriâ, ſecundas à Baÿs in Romano Imperio obtinens, quibus nullæ balneæ calidæ comparari poſſunt.*

Eunap. in Iamblico.

* fortè κατὰ

* fortè τοῦ

CASAVBONVS. Quamquam ſi vel expreſſis verbis, aut hic aut quiuis alius Patrum id diceret; commodè tamen exponendum eſſet; ne plus ſigno tribuatur, quàm pietas ferat. Non fert autem pietas Chriſtiana, vt aliqua ſigno Crucis propria virtus miracula efficiendi tribuatur. Scimus veterem Eccleſiam & in vitæ communis vſu, & in ritibus ſacris multùm vſam eſſe venerabili illo ſigno, ſed vt piâ cærimoniâ, quæ orationi adiecta, animos fidelium ad Chriſti Crucem eueheret; non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut geſtui affigeret. Hoc ſenſu ſanctiſſimi prudentiſſimique illi Antiſtites, qui Eccleſiæ in Angliâ reformandæ negotio præfuerunt, & in publicis locis Cruces

ces passi sunt remanere, & in nonnullis etiam ritibus sacris retinuerũt, vt in Baptismo.

ROSVVEYDVS. Frustrà omnino, frustrà effugium captas. Crucis signum, seu Crucis cærimonia, etiam sine vllâ oratione, etiam in Iudæo, etiam in homine idolis adicto, vim suam virtutemque obtinet. Audi Theodoretum. Ὃς τοῦτον εἰς εἰδωλικὸν σηκὸν ἀγαγὼν, καὶ εἴσω γενέσθαι τῶν ἀδύτων παρασκευάσας, τοὺς ἀπατεῶνας ἐκάλεσε δαίμονας. ἐκείνων δὲ μετὰ τῆς συνήθους φαντασίας ἐπιφανέντων, ἠνάγκασε τοῦτον τὸ δέος ἐπιθεῖναι τῷ μετώπῳ τοῦ Σταυροῦ τὸ σημεῖον. οἱ δὲ τοῦ Δεσποτικοῦ τροπαίου τὸν τύπον ἰδόντες, καὶ τῆς σφετέρας ἥττης ἀναμνησθέντες, φροῦδοι παραυτίκα ἐγένοντο. συνεὶς δὲ ὁ γόης ἐκεῖνος τῆς φυγῆς τὴν αἰτίαν ἐπεμέμψατο τούτῳ. Ἰουλιανὸς δὲ καὶ τὸ δέος ἐδήλωσε, καὶ τοῦ Σταυροῦ θαυμάζειν ἔφησε τὴν ΙΣΧΥΝ. *Qui quidem deducto eo in fanum simulachrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos dæmones inuocat. Quibus specie, quâ solent, apparentibus, metus coëgit Iulianum signo Crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt. Tum præstigiator, caussâ cur fugerent intellectâ, Iulianum obiurgat: qui tum timorem, in quo erat, declarauit, & se* VIRTVTEM *Crucis vehementer admirari dixit.*

Theodor. lib. 3. Eccl. hist. cap. 3.

Gre-

Gregorius Nazianzenus in eiusdem historiæ narratione virtutem Crucis, valorem agnoscit miraculi: Ἐπὶ τὸν Σταυρὸν καταφύγει, καὶ τὸ παλαιὸν φάρμακον, καὶ τύπῳ σημειοῦται κατὰ τῶν φόβων, καὶ βοηθὸν ποιεῖται τὸν διωκόμενον, καὶ τὰ ἑξῆς φερικοδέστερα. ΙΣΧΥΣΕΝ ἡ σφραγὶς, ἥττωνται οἱ δαίμονες, λύονται οἱ φόβοι. *Ad crucem vetúsque remedium confugit, hocq; se aduersus terrores consignat, eúmque, quem persequebatur, opitulatorem adsciscit; ac quæ sequuntur magis tremenda.* VALVIT *signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores.* Non hîc oratio animũ Iuliani ad Christi Crucem erexit: perculsus, ex antiquâ se signauit consuetudine, & solum valuit signũ. Vnde Cyprianus: *Iam videt Hebræus & quicumque de seruitute Aegyptiâ ad repromissæ patriæ libertatem anhelat, quòd Sanguis Christi efficaciùs, quàm agni illius, quẽ in Aegypto Israël immolauit, contrarias abigat potestates: cuius hodie tanta est auctoritas & potestas, vt non solùm Israëlitica limina, sed etiam ab his, qui Israëliticè non viuunt, solum Sacramenti signum repellat dæmonia: & vbicumque conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis* VIRTVS *& Sanguinis nota.* Nec aliter Augustinus: *Nec mirum est*, inquit, *quòd hæc signa* (Crucis) *valent, cùm à bonis Christianis adhibentur, quãdo etiam cùm vsurpãtur ab extraneis, qui omnino*

Greg. Nazianz. Orat. 1. contra Iulianum.

Cyprian. serm. de pass. Christi, c. 5.

Aug. lib. qq. 83. q. 79.

ſuum nomen adiſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris VALENT.

Nec Crucis tantùm hæc virtus, dum in fronte efformatur, quin & virtus eius etiam ſigno iam prętęrito, iam euanido perſeuerat, fructu ſuo exuberat, emolumento ſuo non caret. Teſtis Iuliani armiger apud Prudentium in Apotheoſi, qui ab Epiſcopo Chriſmatis Cruciſque ſigno frontem ante inſcriptus, pòſt nefandis Iuliani ſacrificiis adſtans, turbauit totum ſacrificij apparatum, Zoroaſtræos ſuſurros inefficaces reddidit. Sic Iudæus apud Gregorium iam antè Crucis ſigno munitus, antequam dæmon accederet, eo tamen dæmonis impetum cohibuit. Sic Armogaſtis martyris frons Crucis Chriſti antè trophæo inſignita, contra omnes neruicas chordas, contra funes omnes cannabinos victrix euaſit.

Prudent. in Apoth.

Gregor. dial. lib. 3. c. 7.

Victor l. 1. de Perſec. VVandal.

CASAVBONVS. In ſuperiore loco Epiphanij corrigenda eſt obiter menda, quæ multis viris eruditis impoſuit. Sic enim editum eſt p. 62. Κατὰ Συκυęίαν δὲ γυνή τις ἐλευθέρα ἔτυχεν ἐν τῷ λουτρῷ. Cornarius homo doctiſſimus vertit: *Iuxta Sycyriam verò femina quædam libera in balneo erat.* Et vir eruditiſſimus atque probiſſimus, deque ſtudiis Geographicis optimè meritus, Abrahamus Ortelius,

telius, coniiciebat ex his verbis, id esse loci alicuius nomen circa Gadara. Atqui Thermæ erant Gadaris, non in loco prope Gadara. Epiphanius, παραγίνονται ἐς Γάδαρα εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα. Scribe igitur, Κατὰ συγκυρίαν δὲ γυνή τις. Hoc est, *casu, forte fortunâ erat mulier in balneo*. Sic loquitur etiam Euangelista Lucas c.x.v.31.

ROSVVEYDVS. Hîc crisin tuam, quam κατὰ συγκυρίαν hîc suggeris, non possum non probare; maximè, cùm ei Vaticanus Epiphanij codex ms. suffragetur. Sed recténe tibi cum Cornario γυνὴ ἐλευθέρα est *femina libera?* Num vertendum fuit, *femina nobilis*, vel *matrona insignis?* Ita enim ἐλευθέρα hîc accipiendum videtur. Ἐλευθέρα apud Patres Græcos superioris ætatis, nisi fallunt scholia, sępè accipitur pro matronâ ingenuâ, nobiliq́ue matrefamilias. Sic apud Palladium in historiâ Lausiacâ de illustri Romanâ feminâ, seniore Melaniâ, quam Palæstinæ Consularis, quòd Dei Confessoribus in carcere cõstitutis vitæ commoda subministrauerat, ipsam quoque in carcerem coniecerat, ἀγνοῶν τὴν ἐλευθερίαν αὐτῆς. vbi etsi Heruetus interpres verterit, *ignorans eius libertatem*, rectiùs tamen eo quidem loco verteris, *ignorans eius nobilitatem*. atque ita ibi intelligendum Græcus ms. codex

Pallad. histor. Laus. c.117.

Augustanus monet, qui scholion hoc margini adscriptum habet, ἀυτῆς τὸ ὐγένειαν, *eius nobilitatem*. Sic apud Chrysost. Homiliâ I. in Genesim: Καὶ καθάπερ σώφρονά τινα καὶ κοσμίαν ἐλευθέραν μέλλοντες ἄγεσθαι: *Et quemadmodum castam quamdã & ingenuam nobilemq; sponsam ducturi.* & Homiliâ II. Καὶ ὐχήμονά τινα, καὶ κοσμίαν, καὶ σώφρονα ἐλευθέραν ἡ πόλις ἡμῶν μιμεῖται νυῦ. *Et imitatur hæc ciuitas honestam quamdam, continentem, & sobriam matremfamilias.* Idem epistolâ VIII. ad Olympiada: Ἐπὶ δὲ νυῦ τὸ κυρίε μου τὸ ποθεινοτάτε Ἀραβίε ἐπεστάλκότος ἡμῖν, ἐθαύμασα πῶς ἡ σὴ τιμιότης οὐκ ἔστειλε, καίτοι τὸ κυρίας μου τὸ ἐλευθερίας ἀυτῦ σφόδρα σοὶ φίλης ὔσης. *Quandoquidem nunc quoque, cùm charissimus dominus meus Arabius ad me scripsisset, admiratus sum te nihil ad me litterarum misisse: idq; cùm domina mea ipsius vxor valdè te amet.* Ita quidem Billius vertit, videturque legisse ἐλευθέρας loco ἐλευθερίας, cui nuperi scholiastę Anglicani accedunt. Sed cùm mss. Græca præferant ἐλευθερίας, vertendum videtur, *idq; cùm domina mea ipsius nobilitas valdè te amet.* Ita se honorificè tunc compellabant, σὴ ἐλευθερία, *tua nobilitas*, vt ibidem Olympiada alloquens ait, σὴ τιμιότης, *tua dignitas*. Idem Chrysostomus epistolâ XIV. ad Olympiadem de nobilissimi viri Ruffini coniuge nobi-

Chrysost. Homil. I. in Gen.

Idem Homil. 2.

Idem ep. 8 ad Olymp.

nobilissimâ: Ἡ καλὴ Σελευκία, ἡ τοῦ κυρίου μου Ῥουφίνου ἐλευθέρα. *Egregia matrona Seleucia, domini mei Ruffini vxor.* Atque in eum sensum ἐλευθέραν apud Epiphanium accipiendum existimo. Idē ep. 14. ad Olymp.

Immeritò verò Ortelium reprehendis, quòd locum illum seu Thermas dixerit esse *prope Gadara.* Tu fuisse vis *Gadaris:* planè contra naturam. Quis enim vmquam in monte vidit Thermas? atqui Gadaræ in monte erant. Erant igitur Thermæ illæ prope Gadara ciuitatem, ad montis videlicet radices. Hieronymus: *Gadara vrbs trans Iordanem contra Scythopolim & Tiberiadem, ad Orientem plagam sita in monte, ad cuius radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis.* Epiphanius ergo cùm Thermas ait fuisse εἰς Γάδαρα, non præcisè ciuitatem in monte sitam intelligit, sed simul agrum monti subiectum. Ita capiendus quoque Eunapius. Thermæ igitur illæ non fuere in ipsâ ciuitate Gadarâ, quæ in mōte posita erat, sed ad montis radicem in agro Gadareno; quo modo Strabo ἐν τῇ Γαδαρίδι, in agro Gadareno, ait fuisse aquam pecoribus noxiam. Ἔστι δὲ καὶ ἐν τῇ Γαδαρίδι ὕδωρ μοχθηρὸν λιμναῖον, οὗ τὰ γευσάμενα κτήνη, τρίχας, καὶ ὁπλὰς, καὶ κέρατα ἀποβάλλει. *In agro etiam Gadareno est aqua quædam pessima ex lacu: quâ degustatâ, pe-* Hieron. de loc. Hebr. Strabo lib. 16.

cora pilos, vngues & cornua amittunt.

CASAVBONVS. Baronius qui Thermas Gadarenas, in quibus lauabant sanitatis & voluptatis caussâ viri & feminæ delicatiores, confundit cum aquâ lacustri, quæ in aliquâ parte agri Gadareni habebatur, ne pecoribus quidem sine periculo præsentis noxæ potabilis, diligentiam suam naris emunctæ hominibus faciliùs probabit, quàm iudicij sinceritatem.

ROSVVEYDVS. Tu verò effrenatam calumniandi licentiam, quâ nimium quantum ardes, faciliùs, etiam mucosis hominibus probabis, quàm quem præ te ferre in omnibus vis animi candorem. Non existimauit Baronius, lacustrem illam agri Gadareni aquam eamdem esse cum celebratissimis illis Thermis; non hoc existimauit, vt illi calumniosè imponis. Sed postquam de Thermis illis egit, obiter quoque adducit Strabonis locum illum de aquâ lacustri, non Thermas cum eâ componens, sed potiùs opponens. Ita enim ait: *Meminit & Strabo de aquis Gadarenis in hunc modum: In agro etiam Gadareno est aqua quædam pessima ex lacu, quâ degustatâ, pecora pilos, vngues & cornua amittunt.* Non hic Strabonem ait meminisse Thermarum Gadarenarum, non ait Thermas illas easdem esse cum aquis Gadarenis, sed

Baron. ad annum 31. n. 68.

Strab. l. 16.

sed potiùs Thermis illis Epiphanio & Eunapio celebratis à præstantiâ, pessimas in eodem agro Gadareno à Strabone memoratas aquas opponit.

Quòd viri quidam eruditi ex hoc fortè Baronij loco, mente eius non satis perceptâ, existimarunt balnea ista in aquam lacustrem conuersa, Deo vitia quæ in balneis istis committebantur vindicante, omnino frustrà videtur. Imposuit ipsis memoria, cùm tempore Epiphanij adhuc balnea ista exstarent, qui tamen longè Strabone est posterior. Aliæ igitur hæ aquæ agri Gadareni à balnearibus aquis.

TABVLA VII.

Rectum Baronij iudicium de Pseudohieronymi libello de Natiuitate MARIAE, *etiam sine Erasmi subsidio. Christophorus de Castro à Casauboni calumniâ defensus. Leucius hæreticus non est auctor libri illius de Natiuitate* MARIAE. *Non vnus Casauboni hac in re error, ignorantia, fraus. Libri catacriani apud Spartianum qui?*

CASAVBONVS. Rectè Baronius iudicat, cùm Hieronymi esse negat librum *Exerc. 1. cap. 15.*

oppidò insulsum de Natiuitate sanctæ Mariæ, quem superiorum sæculorum imperitia maximo illi viro attribuit.

ROSVVEYDVS. Rectè tu quoque iudicasti, cùm Baronij viri vtique iudicioſi auctoritati accedis.

CASAVBONVS. Sed dissimulatum ab eo nollem, summum virum Erasmum, multò ante ipsum de illo partu supposititio veram sententiam pronuntiasse. Erasmi iudicium secuti sunt Melchior Canus, & Sixtus Senensis, atque hac vice Baronius.

ROSVVEYDVS. Ego verò dissimulatum à te velim, pronum illum, quo in auctores suspectæ fidei animus tuus fertur, affectum. Quasi verò Melchior Canus acerrimi iudicij vir, Sixtus Senensis accuratus scriptorum censor, Cæsar Baronius imperitarum, vel teipso sæpiùs adstipulante, fabularum explosor, sine Erasmi scholiis aduertere non potuerint, huic libello deesse aliquid à stylo & genio Hieronymi. Vnus quidem Canus Erasmiani in hac re iudicij meminit, quem tamen nimis licentioſum censorem esse in aliis, eodem libro & capite monet. Pertendit ipse, & meritò pertendit, nulla mendacia viros sanctos Ambrosium, Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Gregorium referre voluisse. Quà in re Erasmus,"

Canus l. 11 c. 6. locorũ.

inquit,

„ inquit, Roterodamus alijque iuniores qui-
„ dam, sæpè ac licenter errarunt. Quid enim
„ liberiùs, licentiùs, immoderatiùs dici po-
„ tuit, quàm Hieronymum asserentem Mat-
„ thæi Euangelium Hebraicum describendi
„ sibi copiam fuisse, in eo virum grauissimum
„ sanctissimumque mentiri? Quæ nunc sug-
gero, vt cùm eò in Annalibus Baronij perue-
neris, quàm parum hîc Erasmi, quàm mul-
tum Cani iudicio tribuere debeas, memine-
ris. Et sanè si tanta te Erasmo, quanta Baro-
nio insultandi prurigo tenuisset; potuisses ex
eodem Cano materiam sumere, quòd tene- Canus lib. 11. c. 2.
bras, quas super vniuersam terram factas Matth. 27.
scribit Euangelista, eas ipse super Iudæam
tantùm fusas intelligit; falsæque intelligen-
tiæ causſam ponit, neque veram; neque si ve-
ra esset, satis idoneam.

Et Sixtus Senensis non Erasmi rationibus Sixt. Sen. l. 2. Bibl. S. in Matth.
motus scriptum hoc Hieronymo abiudicat,
„ sed quas ipse sibi videtur inuenisse: His, ait,
„ rebus (de ortu siue stirpe Mariæ, item de in-
„ fantiâ Saluatoris) inepti quidam auctorita-
„ tem asserere cupientes, præfationes addide-
„ runt sub nomine Chromatij & Heliodori
„ Episcoporum ad Hieronymum, & Hiero-
„ nymi ad ipsos confictas, quę vtrumque opus
„ testarentur à Hieronymo in gratiam eo-
„ rumdem Episcoporum ex Hebraico Mat-

thæi volumine translatum, & ab hæreticorum falsationibus expurgatum. Sed cùm in his libris eædem nunc exstent aniles fabulæ, quas Irenæus in primo aduersus Valentinianorum hæreses, & Epiphanius primo Panarij, sectione tertiâ, ex iis voluminibus refellunt, palàm apparet impostorum deceptio. Gelasius dist. xv. inter libros ab Ecclesiâ damnatos vtrumque abiicit. Hæc quidem Sixtus. Cuius tamen rationibus Christophorus à Castro iam responderat, nihil tale haberi in hoc de B. Mariæ Natiuitate tractatu, quale Epiphanium & Irenæum Sixtus vult deprehendisse. De alio illos libro agere, vti & Gelasium: quæ tu dissimulas, vni Castrium studio traducendi intentus.

Baron. in Apparat. n. 44.

Baronius quoque ex historicâ ratione, quam in scripto reperit, scriptum hoc reiecit: Nec innitimur, inquit, scriptioni; quæ hactenus Hieronymi nomine ad Chromatium & Heliodorum scripta, vulgata est. Nam licet in eâ complura veritate constantia conscripta reperiantur, quæ à dictis auctoribus sibi vendicent auctoritatem & fidem: tamen non tantùm eam Hieronymi non esse dixerimus, sed auctoris planè vt ignoti, sic prorsus imperiti, qui in eâ condendâ & conscribendâ non nouit aperta vitare mẽdacia, dum ait illis temporibus, quibus

» bus ea acciderunt, fuisse Issachar summum
» Pontificem: cùm clariùs ipsâ luce habeatur
» notum, tunc temporis post Hyrcanum Ana-
» nelo ab Herode traditum Pontificium, inde
» Aristobulo, & iterùm Ananelo, Iesu Fabeti
» post eum, inde Simoni, Anano posteà, ac de-
» mum ceteris, quos per successionem Iose-
» phus singulatim recenset: inter quos vsque
» ad cladem Ierosolymorum per Titum illa-
» tam, nullus eius nominis reperitur institutus
» Pontifex. Non igitur necesse fuit Baronio
Erasmum hîc citare de partu hoc suppositi-
tio, cùm ipse Baronius nouo argumẽto, nec
apud Erasmum lecto, scriptum hoc reiiciat.

Ioseph. Antiq. l. 15. 16. 17. & de bell. Iudaic. l. 1. & seq.

CASAVBONVS. At vide quàm altas radices fabularum & mendacij amor in multorum animis egerit. Librum enim palàm impium, ausus non ita pridem defendere, contra horum virorum iustissimam censuram, Christophorus de Castro Iesuita Hispanus, O tempora! ô mores! audere aliquem in hac luce litterarum scriptum tueri, quod primò constat pseudographum esse; deinde à pestilentissimo hæretico profectum; postremò nugarum & impietatum esse plenum.

ROSVVEYDVS. Ego verò iustiùs exclamem, O tempora! ô mores! audere aliquem in hac luce litterarum, & scripto illi iniuriam,

riam, & Christophoro de Castro calumniam irrogare. Nec enim scriptum hoc ab hæretico est profectum, nec impietatis plenum, vt tu criminaris; quod te conantem probare mox ordine prosequar. Pseudographum esse, vel certè dubij auctoris & interpretis, nec ipse quidem Castrius diffitetur. Ait enim: Librum illum vindicare operæ pretium est, à quocumque tandem confectus sit, à morsibus eorum, qui eius auctoritatem eleuare contendunt. Item: Vt demus his, librum hunc à beato Hieronymo non fuisse traductum, sed ab ignoto quodam & innominato auctore, pio illo quidem & satis vetusto. Relinquit igitur in medio Castrius & auctorem libri & interpretem, vt dici non possit falsam epigraphen defendere. Nec tamen ideò liber aliquis reiiciendus est, & impietatum nugarumque arguendus, quia falsam præfationem præfert. Hoc tam manifestum est, vt probatione non egeat. Sed videamus nunc duo reliqua, & ordine differentem Casaubonum audiamus, ac primò de auctore hæretico.

Christoph. à Castro in historiâ Deip. in Catal. Auctorum.

CASAVBONVS. Ab hæretico eam scriptionem esse profectam cur dubitemus? ipse doli fabricator palàm hoc profitetur. Non enim libri auctor postulat haberi, sed interpres dumtaxat. Verus auctor Seleucus Manichæo-

nichæorũ Apoſtolus, notiſſimus hæreticus.

ROSVVEYDVS. Næ tu homo confidentiſſimus es, qui exiſtimaſti neminem futurum, qui has tuas decurtatas, & aliorſum detortas ſententias ad amuſſim reuocaret,& integritati ſuæ reſtitueret. Quid impoſtorem agere, ſi hoc non ſit, equidem neſcio. Exiſtimat Caſaubonus, vel falsò potiùs imponit,ipſum Pſeudohieronymum interpretem prodere libelli ſui, quem vertebat, Seleucum auctorem. Imò verò contrà facit,& Seleucianum libellum reiicit,alium auctore alio amplectitur. Euadit hoc manifeſtum ex ipſis litteris Chromatij &Heliodori ad Hieronymum,& Hieronymi ad eoſdem,vt quidem editiones eorum, licet ementito nomine,omnes præferunt. Ita igitur Chromatius & Heliodorus: *Ortum Mariæ Reginæ Virginis,ſimul & natiuitatem atque infantiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in apocryphis inuenimus libris, in quibus multa contraria noſtræ fidei conſiderantes ſcripta, recuſanda credimus vniuerſa, ne per occaſionem Chriſti, lætitiam Antichriſto traderemus.*

Chromat. & Heliodorus apud Hieron. tom.9.

Qualis autem liber ille fuerit,quem auerſantur,& quis eius auctor, prodit auctor ille incertus prioribus reſpondens: *Petitis à me vt vobis reſcribam,quid mihi de quodam libello videatur,qui de Natiuitate S. Mariæ à nonnullis*

Incertus apud Hieron.tom.9

nullis habetur. Et ideò scire volo, multa in eò falsa inueniri. Quidam namq; Seleucus, qui passiones Apostolorum conscripsit, hunc libellum composuit. Sed sicut de virtutibus eorum & miraculis per eos factis vera dixit, de doctrinâ verò eorum plurima mentitus est; ita & hîc multa non vera de corde suo confinxit. Meminit eiusdem Leucij suppositititius Melito, verbis pænè iisdem, vt alter ex alterius pharetrâ sua deprompserit. *Sæpè scripsisse me memini de quodam Leucio, qui nobiscum cum Apostolis conuersatus, alieno sensu & animo temerario discedens à viâ Iustitiæ, plurima de Apostolorum actibus in libris suis inseruit: & de virtutibus quidem eorum multa* varia *dixit: de doctrinâ verò eorum plurima mentitus est, asserens eos aliter docuisse; & stabiliens quasi ex eorum verbis sua nefanda argumenta. Nec hoc solùm sibi sufficere arbitratus est, verùm etiam transitum B. semper Virginis* MARIÆ *Genitricis Dei, ita impio deprauauit stylo, vt in Ecclesiâ Dei non solùm legere, sed etiam nefas sit audire.* Quod hîc Melito dicit non placuisse Ecclesiæ eiusmodi Acta, idem testatur Pseudohieronymus, qui & librum illum ait à Synodo reprobatum. *Factum est*, inquit, *vt à Manichæi discipulo Seleuco, qui etiam Apostolorum gesta falso sermone conscripsit, hic liber editus non ædificationi,*

Melito Episc. Sardensis de transitu B. Mariæ tom. 7. Bibl. PP.

*lege vera.

Incertus apud Hieron. tom. 9.

tioni, sed destructioni materiam exhibuerit; & quòd talis probaretur in Synodo, cui meritò aures Ecclesiæ non paterent. Sed quæ hæc Synodus, cui liber hic probatus est, non ædificationis, sed destructionis materiam exhibens? Non alia, opinor, quàm Romana à Gelasio Papâ conuocata, ex quâ habes decreti distinct. xv. cap. III. *Libri omnes quos fecit Leuticius* (Leucius) *discipulus diaboli, apocryphi.* Dist. 15. c. 3. Quare si auctor huius tractatus ad eam Synodum respexit, multò Hieronymo posterior est.

CASAVBONVS. Hic est, qui in libro B. Augustini de fide contra Manichæos bis vocatur *Leucius*, quod verè Baronius monuit. Sed & Leontius in eodem libro appellatur. *In Actibus*, ait Augustinus, *conscriptis à Leontio, quos ipsi accipiunt.* Intelligit autem eum librum, de quo Pseudohieronymus iste initio; *Quidam Seleucus, qui passiones Apostolorum conscripsit, hunc libellum composuit.* Fortasse scripserat *Leucius.* Nam etiam in epistolâ Gelasij, vbi variè concipitur hoc nomen, prima syllaba semper abest. In Romanâ editione decreti, *Leuticius* aut *Leutius*, vt ibi adnotant docti viri. In tomis Conciliorum *Leucius*. Scio tamen Seleucum hæreticum legi apud Philastrium, & Seleucianos ab eo denominatos

apud

apud B. Augustinum. Verba Gelasij Papæ insignia sunt: *Libri omnes quos fecit Leucius, discipulus diaboli, apocryphi*. En qualem scriptorem defendat Iesuita. Nam vt modò dicebamus, eius libelli, quo de agimus, iste, qui sub Hieronymi latêre voluit nomine, auctor non est, sed interpres tantùm. *Proinde*, ait, *vt in Hebræo habetur, verbum ex verbo transferre curabo*. Iterùm: *Sic narrationis stylum tentabo* (fortè *temperabo*) *vt non alia dicam, quàm quæ aut scripta sunt, aut consequenter scribi potuerunt*.

ROSVVEYDVS. Nihil hîc eximium habes, quod non Baronius viderit & antè monuerit. Sed dum Leucium vel Seleucum auctorem libelli de Natiuitate MARIÆ pergis asserere, antiquum tuum obtines, id est, immaniter errare. Quantò certiùs Baronij institisses vestigiis, qui non te ad Leucium vel Seleucum, velut huius libelli auctorem, sed ad incertum aliquem, Hieronymi tamen laruâ insignitum, duxisset. Vt autem constet, quæ illa sint acta, quæ Augustinus & Pseudohieronymus asserunt Leucium scripsisse, & an ea etiamnum exstent, dicam paulò explicatiùs.

Aug. de fide contra Manich. c. 4.

Meminit Augustinus Leucij bis lib. de fide contra Manichæos; & quidem capite 4. non assignato certo eius libro: *In Actibus quoque conscri-*

conscriptis à Leontio, (Leucio) *quos ipsi accipiunt, sic scriptum est: Etenim speciosa figmenta, & ostentatio simulata, & coactio visibilium, ne quidem ex propriâ naturâ procedit, sed ex eo homine, qui per seipsum deterior factus est per seductionem.* An hæc in Actibus Apostolorum, quos pòst citat, an in aliquo alio eius libro inuenerit, non exprimit. Eiusdem verò libri c. XXXVIII. certum Leucij librũ assignat, videlicet *Actus Apostolorum.* Ita enim habet: Idem ibid. c. 38.
Attendite in Actibus Leucij, quos sub nomine Apostolorum scribit, qualia sint, quæ accipitis de Maximillâ vxore Egetis: quæ cùm nollet marito debitum reddere, cùm Apostolus dixerit, Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro; illa supposuerit marito suo ancillam suam Eucliam nomine, exornans eam, sicut ibi scriptum est, aduersariis lenociniis & fucationibus, & eam nocte pro se vicariam supponens, vt ille nesciens, cum eâ tamquam vxore decumberet. 1. Cor. 7. Sed in cuius Apostoli Actis hæc Leucij citata reperiantur, non satis clarè exprimit: videtur tamen intelligere Acta S. Andreæ, dum subdit: *Ibi etiam scriptum est, quòd cùm eadem Maximilla & Iphidamia simul issent ad audiendum Apostolum Andream, puerulus quidam speciosus, quem vult Leucius, vel Deum, vel certè Angelum intelligi, commendauerit eas Andreæ Apostolo: &*

perrexit ad prætorium Egetis, & ingressus cubiculum eorum, finxerit vocem muliebrem, quasi Maximillæ murmurantis de doloribus sexus feminei, & Iphidamiæ respondentis. Quæ colloquia cùm audisset Egetes, credens eas ibi esse, discesserit. In Actis S. Andreæ apud Abdiam Babylonium occurrit quidem Maximilla, Iphidamia, & Eges, non tamen hæc absurda, quæ hîc ex Actis à Leucio conscriptis narrantur.

An verò omnium Apostolorum Acta scripserit Leucius, non est facile asserere. Proponam, quæ mihi apud veteres auctores occurrerunt. Innocentius Ep. 111. ad Exuperium: *Cetera, quæ sub nomine Matthæi, siue Iacobi minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt; vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide & Leonide Philosophis; & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia; non solùm repudianda, verùm etiam noueris esse damnanda.* Baronius ad annum Christi XLIV. ait se legisse manuscriptã Epistolam in Bibliothecâ Vaticanâ, n. CCXXXIV. nomine Meliti Episcopi Laodicensis, quâ significatur, à prædicto Leucio conficta esse trium tantùm Apostolorum Acta, nimirum *Ioannis, Andreæ,* & *Thomæ.* Non dubito Baronium hæc hausisse ex m s. Melitone de vitâ S. Ioannis Euangelistæ. Nam ms. qui penes

Innoc. Ep. 3. ad Exup.

Baron. t. 1. ann. 44. n. 44.

penes me est, ita habet: *Melitus seruus Christi Episcopus Laodiceæ vniuersis Ecclesiis Catholicorum æternam in Domino salutem. Volo sollicitam esse fraternitatem vestram de Leucio quodam, qui scripsit Apostolorum Actus, Ioannis Apostoli & Euangelistæ, & SS. Andreæ & Thomæ Apostolorum: qui de virtutibus quidem, quas per eos Dominus fecit, vera dixit, de doctrinâ verò multa mentitus est: dixit enim, eos docuisse duo principia*, &c. Melitus hic est idem Melito, cuius antè verba de Leucio auctore transitus B. Mariæ produxi. Melitus Præfat. in vit. S. Ioannis Euang.

CASAVBONVS. Impietas verò istius Pseudohieronymi excusari saluo pudore non potest: nam quum fateatur, Seleucum, siue Leucium de doctrinâ Apostolorum multa esse mentitum; ea tamen defendit, quæ sunt ab eodem hæretico scripta de virtutibus & miraculis eorum. Poterátne hic planus apertiùs ostendere, nullam sibi esse curam veritatis, neque vllum se inter falsum & verum statuere discrimen?

ROSVVEYDVS. Imò verò Pseudohieronymus falsum inter & verum, immensum discrimen statuit. Ait Leucium multa mentitum in doctrinâ Apostolorum, & eam reiicit ac detestatur; non autem in *virtutibus & miraculis*, quæ vera prodidit. Ecce clara ipsius

verba: *Sed sicut de virtutibus eorum* (Apostolorum) *& miraculis per eos factis vera dixit, de doctrinâ verò eorum plurima mentitus est: ita & hîc* (de Natiuitate B. Mariæ) *multa non vera de corde suo confinxit.*

CASAVBONVS. Addit de eo ipso libro quem vertebat: *ita & hîc multa non vera de corde suo confingit.* Quis furorem hunc sanus non detestetur? fatetur librum ab hæretico scriptum: fatetur multa auctorem de corde suo confinxisse: & tamen amplectitur, vertit, obtrudit.

ROSVVEYDVS. Pergis omnino, pergis Casaubone erroris funem nectere, & quem tibi interpretis de Natiuitate Mariæ furorem fingis, detestari. Non enim interpres, quem vertebat librum, fatetur ab hæretico scriptum, & multa in eodem conficta; sed de alio hoc auctore, de alio libro dicit, vt iam dixi; quem non amplectitur, sed reiicit; non vertit, sed indignum versione æstimat; non obtrudit, sed occultat. Ita tu hîc furiosum Orestem miti Hippolyto suppositisti. Illud enim *hîc* apud Pseudohieronymum, intelligis de libello Pseudohieronymi, cùm ipse intelligat de libello Leucij, vt iam satis suprà declaratum. De alio eiusdem libro Melito iam antè citatus: *Transitum B. semper Virginis* MARIÆ *Genitricis Dei, ita impio depra-*

prauauit ſtylo, vt in Eccleſiâ Dei non ſolùm legere, ſed etiam nefas ſit audire.

CASAVBONVS. Sed audiamus facti defenſionem egregiam: *Illud liberè dico, quod fidelium neminem negaturum puto: ſiue hæc vera ſunt ſiue ab aliquo conficta, ſacroſancta S. Mariæ magna miracula præceſſiſſe, maxima conſecuta fuiſſe, & idcircò ſaluâ fide ab iis, qui Deum facere iſta poſſe credunt, ſine periculo animæ ſuæ credi & legi poſſe.* Impium hominem, & ſtultè delirum! Nam ſi valet hæc ratio, vt credi omnia debeant, quæ aliquis hæreticus aut fanaticus finxerit, quia Deus illa poteſt facere: quid eſt cur deliria Rabbinorum, aut etiam Mahometis, reſpuamus? Etſi enim ſtupenda ſunt, & inſana figmenta, quæ in libris Rabbinorum, aut in Alcorano recitantur; nihil tamen eſt adeò portentosè excogitatum, quod, ſi omnipotentiam Dei reſpicimus, fieri à Deo non poſſe credi debeat. Apage à Religione Chriſtianâ adeò abſurdam, adeò impiam ſententiam.

ROSVVEYDVS. Hîc verò non agit interpres ille de Leucij hæretici libro, ſed de ſuo, quem vertebat. Quem quia Matthæi Euangeliſtæ eſſe, licet eius nomen codicis frons præferret, non audet aſſerere; nihil tamen eo contineri, quod non *ſaluâ fide, ſine periculo animæ credi & legi poſſit*, intrepidè

asseuerat. In omnibus D. Hieronymi editionibus libellus ille de *Natiuitate Mariæ* circumfertur. Inspice, lege; & si quid deprehendas, quod *sine periculo animæ & credi & legi* non possit, tunc demum exclama: *Impium hominem, & stultè delirum!* tunc cum deliriis Rabbinorum, tunc cum Mahometis insanis figmentis eum libellum compara.

Quòd si nihil ibi tale occurrit (certè nihil tale etiam rigidi censores deprehendêre) cur tantopere contra libelli auctorem, contra interpretem furis? Meminisses aliâ, sed simili tamen in re, modestię Hieronymianę, qui etsi certò sibi putabat constare, non esse Zachariæ patris Ioannis Baptistæ sanguinem, quo plerique fratres simpliciores putabant rubere saxa, quæ è templi ruinis supererant, non eos tamen condemnauit, non arguit temerariæ credulitatis: *Simpliciores*, inquit, *fratres inter ruinas templi & altaris, siue in portarum exitibus, quæ Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudæorum & fidei pietate descendit.* Sciebat errorem esse Hieronymus, nec tamen eum damnabat, quòd ex odio Iudęorum, quòd ex fidei pietate descenderet. Censebat igitur ita credi posse, *saluâ fide*, & *sine animæ periculo*. Et tu interpretem libelli de

Hieron. in c. 23. Mat.

Nati-

Natiuitate Mariæ damnabis, quia censuit *saluâ fide, sine periculo animæ & credi & legi posse*, non ea, de quibus certus erat falsa esse; sed dubia, sed non satis explorata? cùm Hieronymum videas, ex pietate profectum errorem (etsi certò eum errorem æstimaret) non audentem condemnare.

Quòd si sacratiori & à Scholasticis excultæ aliquando Theologiæ operam dedisses, Casaubone, diuersos veritatis gradus, diuersam fidei obiectam materiam; quędam indubitatè credi, quædam piè credi posse didicisses. Sed nondum serum discere, etsi ætate sis grandiore. Agnosces, spero, tiro lanistam, Francus Francum, discipulus magistrum, clarum Galliæ decus, Ioannem Gersonem, Doctorem resolutissimum & Christianissimum. Ille igitur de toto hoc genere (verba eius sunt, sed compendio, quibusdam recisis) ita differit, quadripartitum veritatum ordinem statuens.

» Primò sunt veritates, quæ credi debent immediatè & explicitè à Deo reuelatæ esse; » quarum triplex gradus est: Gerson. tom. 1. in decl. verit. quæ credēdæ sunt.

» Primus est canon totius Scripturæ sacræ.

» Secundus est veritatum ab Ecclesiâ determinatarum, quæ ab indubitatâ relatione » Apostolorum per successionem continuam » deuenerunt.

Tertius est veritatum specialiter aliquibus reuelatarum, quæ ab illis, quibus reuelatio facta est, absque vllâ dubitatione credendæ sunt.

Secundò, sunt veritates omnes & singulæ quæ concluduntur ex præmissis veritatibus in consequentiâ certâ in lumine fidei, vel in euidenti lumine naturali: quamuis non in propriâ formâ verborum illic habeantur.

Tertiò, sunt veritates, quæ ex veritatibus quadruplicis gradus antè dicti, vel aliquibus earum deducuntur in consequentiâ tantummodò probabili vel topicâ.

Quartò, sunt veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fouendam deuotionis religiosam pietatem: quæ magis inducuntur ad inflammandum affectum, quàm ad instruendum intellectum: vbi pietas deuota magis aspicitur, quàm veritas certa. vbi hoc vnum reprobatur, si adesset assertionis temeritas, priusquam eluciderétur alio modo per Ecclesiam vel rationem certam ipsa veritas; aut si superstitionem, hoc est, religionem superfluam & vanam induceret. Vnde, sicut dicit Aristoteles, *Nihil refert quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris*: ita nihil refert quædam falsa pie credi, non quòd eâ ratione, quâ falsa sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possunt:

procul

„ procul hoc à pietate fidelium: sed cadit exi-
„ stimatio vel pia credulitas non super verita-
„ te vel falsitate, sed tantùmmodò super ap-
„ parentiâ vel probabilitate. Et hoc vtique
„ non est periculosum: quia constat de appa-
„ rentiâ & probabilitate, dum falsitas vel ve-
„ ritas ignota est. Propterea sapientissimè dixit Apud Hie-
„ Hieronymus, quòd de talibus eligibilius est ron. ep. 10.
„ piè dubitare, quàm temerè definire. Sicut tom. 9.
„ stat quodlibet contradictorium esse proba-
„ bile; & vnum stat cum altero, non in verita-
„ te, sed probabilitate: sic diuersis respectibus
„ vtrumque cõtradictorium credi potest cum
„ fidei pietate, dum tamen sit animus ab as-
„ sertione pertinaci alienus.

„ Respicit autem iste gradus Legendas &
„ miracula Sanctorum, vitas Patrum, visiones
„ deuotarum personarum, recitationes & opi-
„ niones sacrorum Doctorum, quę omnia suf-
„ cipit Ecclesia & legi permittit, non quòd
„ determinet talia' de necessitate salutis esse
„ credenda: sed quia proficiunt ad commo-
„ uendos affectus pios fidelium, & in ædifica-
„ tionibus ipsorum, dum in talibus nihil de
„ certitudine scitur esse falsum; quamuis et-
„ iam nesciatur illud certitudinaliter esse ve-
„ rum, quod oportet; nec vt tale credendum
„ proponitur. ita quòd magis hîc attenditur
„ id, quod piâ recogitatione fieri potuit, quàm

illud quod factum est. Et hoc apud orato- «
res creberrimum reperitur; qui ex aliorum «
personis dicunt ea quæ non personæ dixe- «
runt, sed quæ dicere potuerunt: sicut in Le- «
gendâ beatæ Agnetis, & beati Sebastiani, & «
similium continetur. «

Si ab hoc illustri Galliæ sid ere, tenebrosis tuis Exercitationibus lucem intulisses, Casaubone, non in ea incidisses præcipitia.

CASAVBONVS. Accipe cumulum impudentiæ, furoris, sceleris. Nam exemplo Matthæi Euangelistæ, si Deo placet, impostor iste factum tueri audet: *Siquidem*, ait, *sanctum Euangelistam Matthæum eumdem libellum liquet composuisse*, (quid sibi velit hac voce, nescio: non enim potuit Matthęus librum composuisse, quem scripsit Seleucus, siue Leucius, vt ipse impostor paulò antè dixit.) *& in capite Euangelij sui Hebraicis litteris obsignatum apposuisse: quod an verum sit, auctori præfationis, & fidei scriptoris committo.* Hæc Pseudohieronymus. Christophorus de Castro, qui nihil hîc inuenit quod reprehẽdat, quàm benè sentiat de Euãgelistâ Matthęo ipse viderit. Ego & Matthęo, & ipsi Spiritui sancto, atque adeò etiam B. Virgini iniuriam fieri contendo ab iis omnibus, qui fidem vllam istis nęnijs habent: maiorem ab iis, qui defendunt, quod facit ille Iesuita.

Ros-

ROSVVEYDVS. Imò verò accipe cumulum impudentiæ Casauboniane, furoris Casauboniani, sceleris Casauboniani. Non mirum te nescire quid velit, qui mendacio vno posito, falsa conaris superstruere. An verò S. Matthæum certum huius libelli auctorem æstimauerint pseudonymi, Chromatius, Heliodorus, & Hieronymus; eorum collatis verbis disces. Ita igitur ad Hieronymum scribunt Chromatius & Heliodorus: *Dicunt sanctitatem tuam beatissimi Matthæi Euangelistæ manu scriptum volumen Hebraicum inuenisse, in quo & Virginis matris, & Saluatoris infantia esset scripta: & idcircò tuam charitatem per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum expetimus, quatenus & illud ex Hebræo Latinis vocibus tradas, non tantum ad percipiendum quæ sunt Christi insignia, quantum ad hæreticorum astutiam excludendam; qui vt doctrinam malam iustituerent, bonam Christi natiuitatem suo mendacio miscuerunt, vt post dulcedinem vitæ, mortis amaritudinem occultarent.* Apud Hieron. tom. 9. Respondet his interpres, non planè fidem adhibens Matthæi eum esse tractatum, quem titulus præferebat, asserens tamen, nihil habere noxium: *Vt in Hebræo habetur, verbum ex verbo transferre conabor: si quidem S. Euangelistam Matthæum eumdem libellum liquet compo-*

suisse,

fuisse, & in capite Euangelij sui Hebraicis litteris obsignatum apposuisse; quod an verum sit, auctori præfationis, & fidei scriptoris committo. Ipse enim vt hæc dubia esse pronuntio: ita liquidò falsa non affirmo. Illud autem liberè dico, quod fidelium neminem negaturum puto, siue hæc vera sint, siue ab aliquo conficta, sacrosancta sanctæ Mariæ magna miracula præcessisse, maxima consecuta fuisse: & idcircò saluâ fide ab his, qui Deum ista facere posse credunt, sine periculo animæ suæ credi & legi posse.

Vides nunc, Casaubone, in quot errores incurreris, dum odio Societatis nostræ, omnem occasionem arripuisti Socios traducendi. Absit, absit, vt Castrius noster hæreticum librum defenderit: vt Leucio vel Seleuco, vel alicui Manichæorum patrono suppetias ierit. Quin imò Castrium ipsum audi, quanta ipsi cura veritatis fuerit, ne quid in Marianam historiam vel falsum vel fictum irreperet. Ita enim ad Lectorem præfatur:

Christoph. à Castr. in hist. De p. præfat. ad Lector.

Cùm prima hæc lex contexenti historiam proponatur, assertio veritatis, ea quidem, si vsquam alibi, in Christianâ historiâ maximè obseruanda est, in quâ præclara Sanctorum gesta referuntur: ne vel temerè fingamus, quod eos gessisse nescimus, vel quę ab aliis ficta sunt, tamquam vera ad posterorum memoriam, nõ sine gemino piaculo, transferamus.

„ mus. Quòd si meritò cauendũ est in eâ nar-
„ ratione, quę de cuiusuis Sãcti vitâ suscipitur;
„ in texendâ Deiparæ historiâ quãtam curam
„ adhibere nos æquum fuerit, ne commenti-
„ tiis narrationibus eius fidem & auctoritatem
„ imminuamus; vbi, si vel leuiter à veritate re-
„ cesserimus, grauiter errasse conuincamur?

„ Quare in hoc me non exiguam operam
„ & studium impẽdisse fateor, vt quàm maxi-
„ mâ possem diligentiâ sanctos Patres euolue-
„ rem, sacros historiographos tum Græcos
„ tum Latinos perlegerem, ipsamque sacram
„ historiam, quam præ manibus semper ha-
„ bemus, scrutarer; vt ita ex illis omnibus bre-
„ ui compendio, ad historicam methodum
„ redigerem, quidquid vndique potuerit col-
„ ligi, quod ad vitam Virginis, ab illustri ortu
„ vsque ad obitum felicissimum contexen-
„ dam, esset quàm verissimum, &c.

„ Ne verò mihi omnem fidem arrogarem,
„ auctorum omnium testimonia integra hanc
„ historiam comprobantia volui legentibus
„ ante oculos ponere: tum vt vnde esset de-
„ sumpta, quibusque testibus confirmata, fa-
„ cilè possent perspicere; tum vt ea quæ apud
„ innumeros pænè auctores habentur, absque
„ infinitâ librorum supellectile, quę ad id opus
„ erat, in hoc exiguo libelli nostri volumine
„ legerentur.

Mihi

Mihi igitur diligentiam, ſummumque in quærendo ſcribendoque laborem tribuant velim, qui hoc opus lecturi ſunt; auctoribus, quos refero, fidem; hiſtoriæ ipſi veritatem; Virgini Deiparæ, quæ nobis eſt, ſemperque erit materia & loquendi & ſcribendi, ſummas laudes & gratias infinitas, pro fructu, ſi quem eius beneficio ſumus hoc labore percepturi.

Ita Caſtrius noſter ad hiſtoriam Virginis Deiparæ texendam, ſummum ſtudium; ad fabulas excludendas, veritatem; ad auctoritatem & fidem maiorem, ipſas ſanctorum Patrum attulit ſententias: quorum omnium in fine hiſtoriæ catalogum texit, habitâ ætatis ratione. Si quod auctoris cuiuſpiam ſcriptum intercurrat dubium, non ei inſiſtit, niſi auctoris minimè dubij ſuffragio roboretur. Equidem ſcriptũ illud de Natiuitate Marię, quod tantopere de hæreſi & blaſphemiâ incuſas, longè ab iis abeſſe meritò aſſerit.

Conſultiùs omnino feciſſes, ſi Eccleſiaſticorum librorum cenſuram Romanæ Eccleſię reliquiſſes. Habes *Catacrianos libros* apud Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores, de quibus noſti nondum inter Criticos conuenire. De Adriano Imperatore ait Spartianus: *Catacrianos libros obſcuriſſimos, Antimachum imitando ſcripſit.* Lilius Gregorius Giraldus hiſto-

Ael. Spart. in Adrian.

historiæ poëticæ Dialogo v. legebat olim, κατὰ Τατιανὸν, vel κατ' Ἀκκιανὸν, quòd videlicet ipse de se Græcè scripsisset. testaturque Hermolaum Barbarum legisse *Catachlyanos*, à tenebris scilicet libros obscurissimos. Sic idem Hermolaus apud Plinium lib. XXXIV. cap. VIII. legit *Catachlysin*, ab ἄχλη, seu ἀχλὺς *caligo*. Alciatum verò Ic^um *Catacriticos* legisse, ait idē Giraldus, quasi dicas, *condemnatorios* libros, ἀπὸ τὸ καταχρίνω. Ianus Parrhasius diuinat, κατ' Ἀκκιανὸν, *contra Acciānum*. quo nomine quidā libri tutorē Hadriani præferunt, non *Tatianum*. Scaliger apud Casaubonum ad historiam Augustam legit *Catachrianos*, quasi libros περὶ κατὰ χρείαν λεγομένων. Casaubonus ex regiis membranis *Catacaymos*, id est, καταυμὸς, siue καταυσμὸς, vel quòd incendium Phaëthonticum, vel Heracliteam ἐκπύρωσιν iis libris tractasset. Tutiùs sanè de horum librorum lectione & materiâ disputat Casaubonus, quàm de Leucij vel Seleuci operibus: quorum execrandas blasphemias, & fabulas, innoxio apud Hieronymum scripto conatus est asscribere.

Girald. dial. 5. hist. poët.

Ian. Parrh. epist. ad Hadrianū Card.

Liceat mihi, bonâ Criticorum veniâ, & meam hîc opinationem proponere. Videndum censeo, num vulgata lectio suum locum, ascititiis reiectis, occupare possit. Notum

tum nimis; quantopere Antinous Hadriano in deliciis fuerit. Exstat eius ex ære numus antiquissimus & elegantissimus, quem & hîc in amici manibus spectaui, & qualem etiam è Thuani Præsidis cimeliis exhibet ad historiam Augustam Casaubonus. Refert ille ab vnâ parte vultum Antinoi, ab alterâ arietem; quâ formâ Antinoi genesin exprimi existimo, quòd quibusdam in more fuerit, in numis genituras suas exprimere. Sic in numis Augusti Capricornus eius genitura exprimitur. Nec abludit Aries à cinædicâ Adriani & Antinoi vitâ, quâ infames horoscopo Ariete nasci prodit Firmicus. Qui sub Ariete nascebantur, κριανοὶ dicti apud Astrologos. Hinc *Catacriani* fortè libri, qui genituras eorum exprimerent, quibus Aries erat natale astrum. . Adrianum de genituris librum scripsisse, non abhorret ab eius ingenio & studio: nam idem Spartianus tradit, eum Matheseωs fuisse peritissimum, & Veri genituram sciisse. *Fertur Adrianum Veri sciisse genituram.* item: *Fuisse Adrianum peritum Matheseωs, Marius Maximus vsque adeò demonstrat, vt eum dicat cuncta de se sciisse, sic vt omnium dierum vsque ad horam mortis futuros actus antè præscripserit.* atque hinc Tertullianus eum vocat *omnium curiositatum exploratorem.*

Iul. Firm. l. 8. c. 19.

Acl. Spart. in Aelio Vero.

Tertull. Apol. c. 5.

TABV-

TABVLA VIII.

Non sine causâ Baronius Publicanorum apud Ethnicos dignitatem ex Cicerone adduxit. Malè plagij accusatur. Plagiarius potiùs Casaubonus: Ineptè ex errore typographico iudicatur de Baronij imperitiâ in Hebraicis. Maiora in similibus peccat Casaubonus: Syriacæ voces etiam Hebraicæ dictæ. Parisim *& parietis effractores, & publicani. Ruffini lectio explicata. An vrbs Capharnaum nomen sit nacta à fonte Capharnaum. An Capharnaum fontis, an villæ proximæ sit nomen. Arnobio, si fortè, lux.*

CASAVBONVS. Quàm honestus olim fuerit Publicanorum ordo apud Romanos,& pueri sciunt,illi saltem,quibus noua Latinitas M. Tullium nõdum è manibus excussit. Quare sine caussâ Baronius rem nemini nõ notam adeò studiosè persequitur. *Exerc. 13. cap. 37.*

ROSVVEYDVS. Quid ais Casaubone? Ergóne Baronius ijs tantùm scripsit, quibus M. Tullius in manibus? At verò magna doctorum pars Tullio iam pridem relicto, vel etiam ob grauiora studia neglecto, ad exemplum maiorum Sacris litteris & scriptis Pa-

trum insudant, in quibus ea Publicanorum dignitas non occurrit: imò verò inter sceleratos & peccatores ab ijs numerantur. Quare Baronius non *sine caussâ* eorum olim munus apud Romanos fuisse honestissimum in memoriam reuocat, tribus breuissimis è Cicerone assignatis locis; vt planè *sine caussâ* tu dixeris, eum rem eam *adeò studiosè* persequi. Scribit Baronius doctis, scribit indoctis, quibus non omnibus Tullius semper lectus. Multi lenem Sacrarum litterarum amnem nauigare possunt, non Tullianum torrentem. Ita quoque olim, teste Augustino: *Sonat strepitus vocis Tullianæ, Cicero legitur, aliquis liber est, dialogus eius est, siue ipsius, siue Platonis, siue cuiuscumque talium: audiunt imperiti, infirmi, minoris cordis: quis audet illuc aspirare? Strepitus ibi aquæ, & fortè turbatæ, certè tamen tã rapaciter fluentis, vt animal timidum non audeat accedere & bibere. Cui sonuit, In principio fecit Deus cælum & terram, & non ausus est bibere? Cui sonat Psalmus, & dicat, Multum est ad me?* Equidem qui tantopere sollicitus es de stylo Tulliano, optassem tibi maiorem curam Academiæ Tullianæ, vbi aquas habes, quas Plinius memorat salubres oculis. Oculi enim tui plerumque lippiunt, qui passim tam distortè Baronium legisti, vt ostendimus.

Augustin. in Psal. 103.

Ioan. 1.

Plinius libro 31. cap. 2.

De

De nouâ Latinitate quod addis, seu tu Lipsium, seu quem alium tacitè fugillas, numquam profectò assequeris, vt eorum acumen & acrimoniam exprimas. Sunt qui leuibus missilibus delectantur, sunt qui amentatis telis. Et quis cuiusque lacertis modum ponat? Certè qui Lipsij Varias, primum iuuenantis ingenij scriptum legerit, næ ille Tulliani nitoris purpuram non vnam leget.

CASAVBONVS. Quæ verò obseruat idem super Iudæorum publicanis, partim à doctissimi Caninij locis est mutuatus, partim nescio quis illi suggessit.

ROSVVEYDVS. Hac tuâ, monitione dicam an tacitâ reprehensione, non erat opus, cùm ipse Baronius ingenuè professus sit, vnde hæc sit mutuatus, Caninij & nomine & libro in margine adscripto. quæ apud eum habes de Locis noui Testamenti. Quòd si tam sincerè, Casaubone, passim tuis in Cõmentariis auctores adscriberes, è quibus tamen explicationes hauris, rectiùs faceres; nec in legem peccares, NE POMVM EX ALIENO IN ARMVM. Ne ingenua quidem Baronij, per quem profecerit, professio vngues tuos effugit. Memini Lipsium, cùm tuos in Suetonium commentarios legeret, non semel miratum, quòd pleraque sua in scholis dictata legeret. Meritò ille suspicari

Canin. de loc. nou. Test. c. 8.

L. Laurẽt. apud Festum in *Armata*.

poterat, à quo ea esses mutuatus, vel quis ea tibi suggessisset, cùm tot Franci, eius tum Leydæ, tum Louanij auditores fuerint. Sed noluit vir modestus suspicionem suam publicè proponere, noluit te traducere, auditorum suorum testimonio contentus. Nec ego hoc nunc vulgassem, nisi viderem te etiam ex hoc plagij capite calumniari tacitè Baronium; cùm tamen ille in margine digitum ad fontes, vnde ea hausit, intenderit.

Meminêre huius Lipsianæ querelę quotquot in familiâ Lipsij vixêre. ac in primis Ioannes VVouerius, Senator Antuerpiensis, qui non minorem à Lipsio doctrinam quàm modestiam hausit. Hic vt Lipsio diutiùs conuixit, ita ipse Lipsium, & ipsum Lipsius arctiùs complexus est: quem & multorum fecit consiliorum participem, & vltimę quoque voluntatis suæ testem curatoremque esse voluit.

Nec mirum te subleſtâ fide Lipsij tunc scripta sublegisse, cùm ea nondum in publicum data essent, quæ ne nunc quidem prodierunt; ita vt pauci eius rei testes esse possint; & ipse obscuritate hactenus tectus, velut canachenus latêre potueris. Mirum verò te medio die in Lipsiana non veritum inuolare triclinia, prædari fercula, & ea, iam non sortitò, sed à te ipso creatum conuiuij Regem,

Regem, velut tua aliis proponere. Dabo hîc prius tua iam velut recentia producta, deinde Lipsiana; vt appareat eccuius ius hesternum sit. Ita igitur Casaubonus:

» De Antigoni Regis Iudæorum supplicio loquens Baronius, errorem errat multis etiam doctissimis viris communem. Putant esse dissensionem in illâ narratione inter Iosephum & Dionem, & durius supplicium esse, quod Dioni describitur, cui potiùs se assentiri Baronius ostendit. Sed falsa hæc sententia est, nata ex vnius voculæ σανιδὸς prauâ interpretatione. Auctor est Iosephus è Strabone, cuius locum adfert initio libri XV. Antonium πελεκίσαι Antigonum Regem Iudæorum captiuum, hoc est, securi percussisse. Dio libro XLIX. scenam eius supplicij pluribus explicans, Ἀντίγονον, ait, ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας· ὃ μηδεὶς ἄλλῳ βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μὴ τοῦτο ἀπώσφαξε. Magno errore interpretes Dionis verterunt *cruci alligatum*, quæ mala versio Baronio fuit fraudi. Vertendum erat, *palo alligatum*, vel, *ad palum deligatum*, vt sæpè Liuius: nam σανιδὸς, vt toties obseruat Eustathius, est σκόλοψ, ὀρθὸν ξύλον, *palus, lignum erectum*. vnde ἀποσανιδῶ apud historicos passim, *palis cingere, vallos in circuitu figere*.

Casaub. Exerc. 1. c. 7.

Quid hîc, quæso, obseruas Casaubone,

quod non antè Lipsius doctè & copiosè executus est? Omitto de voce σανιδὸς, cuius vsum varium apud Lipsium habes, ex Eustathio & Hesychio deductum lib. I. de Cruce, cap. IV. Tantùm hîc dabo Lipsij verba de supplicio Antigoni, vt non iam verbo tantùm plagij dicaris accusatus, sed reipsâ plagiarium te esse totus orbis agnoscat. Ita igitur Lipsius Notis ad librum suum III. de Cruce, capite III. verbis Macrobij, lib I. Saturnalium capite X. supplicium exprimentibus, quod Autronius Maximus seruo suo irrogauit, quem *verberatum patibuloq; constrictum, per Circum egit*, ascripsit.

Lipſ. Notis ad l. 3. c. 3. de Cruce.

An ergo huc referas Dionis etiam illud libro XLIX. de Antonij sæuitiâ in Iudææ Regem Antigonum? Τὸν δὲ Ἀντίγονον, inquit, ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας (ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξεν: *Antigonum flagellauit, cruci siue furcæ alligans (quod nemo alius Rex à Romanis vnquam passus erat) ac posteà interfecit.* Verba ita præterre videntur: nec abhorreat ab Antonij impotentiâ, vt seruiliter sæuierit etiam in Regem. Tamen veriùs puto, vt capias vertasque, *Palum.* vt palo, inquam, alligatus fuerit, solemni Romanis more, & tum securi percussus. Quod ipsum huic Antigono factum, etsi Dio non expressit, notauit

„ uit Strabo, citante Iosepho (nam hodie non
„ exstat) libro XVI. Antiquitatum, cap. I. Ἀν-
„ τώνιος Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαῖον ἀχθέντα εἰς Ἀντιό-
„ χειαν πελεκίζει, καὶ ἔδοξε μὲν οὗτος πρῶτος Ῥω-
„ μαίων βασιλέα πελεκίσαι: *Antonius Antigonum*
„ *Iudæum Antiochiam perductum securi per-*
„ *cutit, & visus est primus Romanorum securi*
„ *subiecisse Regem.* Idem Plutarchus in An-
„ tonio.

Comparetur iam hæc Lipsiana notatio cum citatâ Casauboni Exercitatione, & statim apparebit, ex cuius poculo biberit Casaubonus. Si quis in eo candor (quem tamen passim præ se ferre vult) si quæ gratitudo fuisset, meminisset hospitis sui, apud quem non tantùm lautè fuerat epulatus, sed apophoreta quoque domum retulerat. Hæc nunc moneo, quòd alibi, vbi quid in epulis Lipsianis hac ipsâ mensâ propositis, conuiuatori nostro displicet, hospitis sui non semel meminerit. Casaubon. Exerc. 16. c. 77.

CASAVBONVS. Videtur autem vir eruditissimus, humani ingenij vitio vsus, etiam è litterarum Hebraicarum cognitione laureolam affectasse; quod hic locus arguit & aliquot alij. Sed in contrarium planè res vertit: faciliùs enim statuas ex eiusmodi locis, ipsum ne legere quidem sciuisse Hebraicè, quàm eius sermonis aliquam peri-

tiam habuisse. Nam per omnes Musas, quid ille sibi volebat cùm ista scribebat? *Princeps publicanorum Hebraicè dicebatur gabbe; ceteri verò publicani gabbain.* Hæc cassâ nuce digna non esse, & pueri intelligunt, qui prima Hebraicarum litterarum elementa didicerunt. Sed incidit in puerilem hunc errorem, quia legerat, verùm non intellexerat, quod verè docet Caninius: τὸν ἀρχιτελώνιον Syriaco vocabulo in Thalmud dici ריש גבאי *res gabbae:* principem publicanorum. Ceteros simpliciter גבאין *gabbain*, publicanos.

ROSVVEYDVS. Imò verò hæc obseruatio cassâ nuce digna non est. Et verò per omnes Musas, quin & per Herculem Musagetem, quid carpendi occasionem captare est, si hoc non est? Ego verò, tuismet te verbis euincam calumniatorẽ esse, & tibi ipsi contraire. Quæro ex te, Casaubone, censésne Baronium hæc verba Hebraicis litteris scripta inuenisse & legisse? Si annuis, qui *gabbain* rectè potuit legere, non ille itẽ *res gabbae* potuit legere? Si renuis, & litteris eum tantùm Latinis ea scripta vis inuenisse; vel Hebraicis simul & Latinis, quod omnino mihi certum, & ex Caninij libro quem citat, patet; quid mirandum fuit, si ea litteris item Latinis exprimeret, sicut in Caninio inuenerat? Frustrà igitur hîc tricaris, nunc Hebraicæ

linguę

linguæ peritiam, vnà etiam cum lectione ei adimens; nunc lectionem quidem tribuens, sed intelligentiam detrahens. Nec lectionem, nec peritiam linguæ Hebraicæ sibi Baronius arrogat, contentus è Caninio exscripsisse, quę Latinis litteris expressa Hebraica, vnà cum interpretatione apud eum inuenerat. Quòd si Typographus pro *res gabbae* expressit *gabbae*; quid culpas Baronium, cùm non pauca errata in Hebraicis in hoc ipso tuo libro commissa sint? quæ si quis tibi insultet, vel eius linguæ cognitionem detrahat, eum rectè facere æstimabis? Tute hîc iudex esto. Quin & in Græcis, quâ maximè linguâ excellere diceris, si quis te reprehendat, ex locis hoc ipso libro malè in versione expressis, æquóne animo laturus es? Habes pag. 553. Πέντε τόποις μετανοούντων ὑπετύπωσε, *Loca pœnitẽtium quatuor designauit.* Quid si hic quis dicat, hæc cassâ nuce digna nõ esse, & pueri intelligunt qui prima Græcarum litterarum elementa didicerunt? Quæ enim Grammatica habet πέντε, *quatuor*? Habes pag. 153. Ἡ ἐφόδης Ἀντιπάτρου μηδὲν προσήκουσαν αὐτῷ τὴν Ἰουδαίων βασιλείαν ἀπὸ Αὐγούστου καὶ τῆς συγκλήτου λαμβάνει. *Herodes regnum Antipatri nihil quidquam ad se pertinens, tradentibus Augusto & Senatu accipit.* Vides hic, quàm immaniter lapsus sis in Græcis his

vertendis, vbi nulla erroris Typographici cauſſa eſſe poteſt. Vertendum erat: *Herodes Antipatri filius, regnum Iudæorum nihil quidquam*, &c. Nec tamen etiamſi hîc ex properantiâ erraueris, Græcarum tibi litterarum ſcientiam detraxero, etſi meritò ex lege Talionis poſſem: quod tu tamen in ſimili cauſsâ facis Baronio.

CASAVBONVS. Quare autem iſtas voces Hebraicas appellet, quum ſint Syriacæ, neque vllum ipſarum in eâ quidem notione veſtigium in veteri Hebraiſmo reperiatur, mitto quærere.

ROSVVEYDVS. Quid audio Caſaubone? Ergo etiam Euangeliſtarum textum ad tuam normã reuocabis? Ne diu cauſſam quæras à Baronio, Euangeliſtarũ ſe exemplo
Ioan.19. tuebitur: Ioan. XIX.v.13. Καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ. *Et ſedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithoſtrotus, Hebraicè autem Gabbatha.* Linguæ Syræ vox eſt Γαββαθᾶ, & tamen Euangeliſta vocat Hebraicam. Eodem c.XIX.v.17. Ἐξῆλθεν εἰς τὸν λεγόμενον Κρανίου τόπον, ὃς λέγεται Ἑβραϊστὶ Γολγοθᾶ. *Exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha.* En rurſus linguæ Syræ vocem, Γολγοθᾶ, vel vt alij Γολγολθᾶ, cùm tamen *Caluaria* Hebraicè vocetur Γολγολέθ. Vide

Ioan-

Ioannem Druſum, tuæ ſortis hominem, cui promptiùs fidem adhibebis, Commentario ad voces Hebraicas noui Teſtamenti; Hebraicas inquam, ita enim Commentarium illum inſcripſit, cùm tamen pleræque quas explicat voces merè Syriacæ ſint. Sed eo magiſtro diſce Hebraicam linguã vocari etiam Syriacam. Ioã. Druſ. de voc. Hebr. nou. Teſt.

CASAVBONVS. Addit Baronius inueniſſe ſe in Hebraico textu Matthæi publicanos dictos *Pariſim*. Agnoſco dictionem Hebraicam, ſed quæ violentum hominem, Τιχωρύχον, & parietum effractorem ſignificet, non autem publicanum. Neſcio verò an illam vocem inuenerit in editione Tilianâ Euangeliſtæ Matthæi, quę mihi magnâ cum voluptate olim lecta, nunc ad manum non eſt. in eâ Munſteri longè aliter.

ROSVVEYDVS. Quid hîc in Baronio reprehendas, equidem neſcio. Vel verbis Baronij lectis, vmbram te captaſſe apparebit. Ait igitur Baronius:

„ In Hebraico textu Euangelij S. Matthæi, Baron.
„ quod peruetuſtum habetur, Publicanos *Pa-* ann. 31.
„ *riſim* inuenimus appellatos, quod eſt pro- n. 73.
„ prium nomen illorum latronum, qui maceriam vel ſepes diſſipant, vt ad furandum
„ atque prædandum pateat aditus. Eo etiam
„ nomine vtitur Ieremias dum ait: *Numquid* Ier. 7.

ergo

ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta? qui Hebraicè loco *latronum* habet *pariſim*. Quod Baronius dixit latrones, *qui maceriam vel ſepes diſſipant*; tu Græcè vocas τοιχωρύχους, *parietum effractores*, magnâ ſanè differentiâ, quantâ videlicet paries maceriâ diſtat.

Quod ad *Pariſim* attinet, nec in Hebræo Matthæi textu à Munſtero edito, quem tu conſuluiſti, nec in Tiliano noſtro habetur *Pariſim* pro *publicanis*: ſed in Tiliano codice Matthæi IX. cap. Hebraicè eſt בעלי עברה *baale abra*, id eſt, *viri tranſgreſſionis*, pro quo noſter interpres vertit *publicani*. & Matth. X. ipſe Matthæus vocatur בעל עברה *baal abra*, id eſt, *vir tranſgreſſionis*, pro quo noſter habet, *publicanus*. Legerit igitur fortè Baronius *pariſim*, vel potiùs *paritſim* per tſade פריצים (quo nomine vocantur latrones & fures, à פרץ *parats*, id eſt, *diruere*, *rumpere*, *effringere*. Ieremiæ VII. v. 11. Pſal. XVII. v. 4.) apud Matthæi textum Hebraicum, qui in Bibliothecâ alicubi ms. aſſeruatur, vel certè aliunde id hauſerit.

Quàm verò argutè, vt Baronio in Hebraicis videaris aliquanto doctior, notas *pariſim* ſignificare *parietum effractores*, non autem *publicanos*: quaſi Baronius dicat eos ita propriè vocari, non verò figuratè. Tute ipſe pro-

prouerbium producis, quo publicani vulgò latrones dicti.

CASAVBONVS. In descriptione lacus Gennesareth, quæ è libris Iosephi apponitur, mendum turpe non est animaduersum, quod in versionem Ruffini nescio quomodo irrepsit. Loquens enim Iosephus de naturâ aquæ lacus illius, ita scribit inter cetera, Belli lib III. cap. XXXV. Τὸ ὕδωρ οὐκ ἀποδεῖ χιόνος ἐξαιθριασθὲν· ὅπερ θέρους νυκτὸς ποιεῖν ἔθος τοῖς ἐπιχωρίοις. *Aqua frigore nihil quidquam niui cedit, postquam habita est sub dio: quod per æstatem indigenæ solent noctu facere:* nempe vt aquam illam noctu habeãt sub dio; quod ἐξαιθριάζεσθαι dicitur. Simile verbum ἐξηλιάζω, apud septuaginta Seniores: de quo agimus ad annum XXXIV. Absurdo & immani errore in versione Ruffini vulgò editum est *æstibus* pro *niuibus*: quem errorem adeò manifestum non reliquisset Baronius, si Græca consuluisset. Corruptus est idem locus etiam in antiquo Ruffini codice Serenissimi Regis Iacobi, sed diuerso modo: nam ibi scriptum offendimus, non *æstibus*, vt in editionibus Latinis: neque *niuibus*, vt est in Græco textu: sed *cædibus*, nescio vnde, orto errore.

Exerc. 31. c. 32.

Ioseph. l. 3. c. 35. Bell. Iud.

ROSVVEYDVS. Nec turpe mendum, nec absurdus & immanis error in versione Ruffi-

Ruffini vulgò editur, vt Baronio ideò Græcus textus consulendus fuerit. Certè nec consulto Regis tui codice Ruffini mentem es assecutus. Qui sanè codex cùm *cædibus* exhibet, pro *æstibus*, non optimè se notæ esse manifestat. Omnes Ruffini codices editi, quos quidem vidi, habent *æstibus*. Ita Parisiensis editio anni M.D. XXVIII. apud Christianum VVechelum in folio. Ita Basileensis editio anni M. D.LVIII. apud Frobenium, partim interprete Sigismundo Gelenio, partim eodem Ruffiniani textus correctore. Ille cùm profiteatur se Ruffini versionem de bello Iudaico ad Græcum exemplar correxisse, non est quòd Baronium magis quàm Gelenium incuriæ arguas. Sed nulla hîc incuria. Aio Ruffinum scripsisse, *æstibus*, quod & mss. meliores præferunt & editiones. Quãquam Iacobus Zieglerus *solibus* citat; nec hoc quidem à mente Ruffini. Vult Ruffinus aquam æstiuis noctibus sub dio habitam, de die manere frigidam, adeò vt non æstibus, non solibus cedat. Quod Græcus dixit, οὐκ ἀποδίδωσι χόνος, *non cedit niui*, videlicet frigore, vel vi resistendi æstui. Duo niui insunt, & frigus, & vis quâ non facilè æstui cedit. Ita quidem hoc loco, siue vertas *non cedit niuibus*, siue *non cedit æstibus*, idem ad mentem auctoris dixeris. Locum totum Græcè subnectam, maio-

Zieglerus descript. Terr. sãct.

maioris lucis caussâ. Καὶ γὰρ τῆς ἑλώδους παχύτητος, ἔχει τὸ νᾶμα λεπτότερον. καθαράτε ἐστὶ πάντοθεν αἰγιαλοῖς ἐπιλήγουσα, καὶ ψάμμῳ, πρὸς δὲ εὔκρατος ἀρύσασθαι. ποταμοῦ μὲν ἢ κρήνης προσηνεστέρα, ψυχροτέρα δ' ἢ κατὰ λίμνης διάχυσιν ἀεὶ μένουσα. καὶ τὸ μὲν ὕδωρ, οὐκ ἀποδεῖ χιόνος ἐξαιθριασθὲν, ὅπερ θέρους νυκτὸς ποιεῖν ἔθος τοῖς ἐπιχωρίοις. *Palustri enim crassitudine tenuiores habet latices: & vndique in littora ac arenas desinens, purus est, ac præter hoc temperatus ad hauriendum. Et fluuio quidem siue fonte lenior est. semper autem frigidior, quàm lacus diffusio patitur, manet: æstiuisq; noctibus eius aquæ sub dio perflatæ nequaquam æstibus cedunt: id enim facere indigenis moris est.* Ioseph. l. 3. c. 35. Bell. Iudaici.

Quæ si fortasse caussaris obscurè nimis explicata, age videamus an Egesippus tibi satisfaciat, qui rem fusiùs ac paraphrasticè explicat, agens de lacu Genesar, & eius aquâ ad potandum habili: *Equidem nec palustris vliginis crassum aliquid, aut turbidum recipit, quia arenoso vndique littore circumuenitur; & temperatior est fluuiali, aut fontis rigore; frigidior tamen placidæ paludis æquore, eo ipso, quòd non in stagni morem sternitur aqua, sed per diffusiora spatia lacus frequentiùs auris spirantibus agitatur: vnde & purior haustus eius, ac mollior est ad vsum bibendi. Et si quis naturali gratiæ studium adiungere velit, vt æstiuis suspen-* Egesipp. de Excid. Ierosl. l. 3. c. 26.

suspensam ad auras noctibus more incolarum potui patet (lego *paret*) *haudquaquam à niuis ritu distare arbitretur*. Habes hîc *niuem*, quam caussabaris in versione Ruffini omissam vel deprauatam; quamquam Ruffinus rem ipsam aliâ phrasi expresserit, vt modò dixi. Erit fortè quispiam qui ex Egesippi versione, *vt æstiuis suspensam ad auras noctibus more incolarum potui paret*, olim in Græco lectum suspicetur: ἐξαιθριασθὲν θέρους νυκτὸς, ὅπερ πίνειν ἔθος τοῖς ἐπιχωρίοις. Facilis inter ποιεῖν & πίνειν commutatio.

Vt apud Iosephum habes ὕδωρ ἐξαιθριασθὲν, *aquam sub dio expositam*, ita apud alios auctores nobilissima vina. Plinius: *Campaniæ nobilissima exposita sub dio cadis, verberari sole, lunâ, imbre, ventis aptissimum videtur*. Horatius:

Plin. l. 14. c. 21.

Horat. 2. Sat. 4.

Massica si cælo supponas vina sereno,
Nocturnâ, si quid crassum est, tenuabitur aurâ.

De aquarum qualitate, salubritate, insalubritate agit Plinius libro XXXI. cap. III. vbi vtiliores ait esse, *quæ profluunt: cursu enim percussuq; ipso extenuari atque proficere*.

Plin. l. 31. cap. 3.

Quia commoda se hîc occasio offert cùm de niue agimus, Arnobio de niue quoque agenti allucendi facem, spectemus, quæso, scholiastarum hactenus suspensas lampades, & vi-

& videamus an Arnobianis tenebris inde lux affulgeat. Ita igitur ille libro II. contra Gentes, in primore editione Romanâ apud Franciscũ Priscianensem anno M. D. XLII. emendatoribus Hieronymo Ferrario & Francisco Priscianensi; Fausto Sabæo Brixiano, Bibliothecæ Palatinæ seu Vaticanæ custode, editionem curante ex ms. Vaticano: *Edissertate nobis & dicite, quid sit, quod grandinem torqueat? quod guttatim faciat pluuiam labi? quod imbres ac niues plumeas, & Eoli ora dilatarit ventus, vnde oriatur & quid sit.* Arnob. l. 2. contra Gent. Quæ primus Gelenius ita legit & distinxit: *quod imbres ac niues plumeas? quod Aeoli ora dilatarit? ventus vnde oriatur & quid sit.* quam deinde lectionem & distinctionem alij editores sunt secuti: nisi quòd cum veteri editione legant, *& Aeoli*, pro quo Gelenius, *quod Aeoli*. Fuluius Vrsinus, schedis Petri Ciacconi, hominis longè doctissimi, adiutus, in secundâ Romanâ editione anno M. D. LXXXIII. ita in margine lectionem primam Romanam reformat: *quod imbres ac niues in plumulas & foliola dilatarit; ventus vnde oriatur & quid sit.* quem vix dubito inspecto codice Vaticano ms. inuenisse *foliora*: vnde Romani primi editores, *Eoli ora*, ipse *foliola* formarit. Sanè & regis Christianissimi manuscr. & Collegij nostri

Antuerpiensis, & is quoque, cuius excerpta Modius ad Godescalcum Stevvechium misit, (nisi cum nostro codice idem sit, de quo aliàs) pariter *foliora* repræsentant. Vnde Ioannes Meursius Appendice ad Criticum Arnobianum, legebat *folgora*, id est, inquit, fulgura ἀφ' χαϊνῶς.

Quòd si & mihi hîc faculam aliquam inferre liceat, cùm manuscr. omnes constanter *foliora* præferant; nec *folgora*, nec *foliola*, nec *Aeoli ora* probauerim. Etsi enim plausibilis eorum coniectura sit, qui *foliola* legunt: quid enim niuei flocci, nisi instar plumularum, foliolorum, & bracteolarum? nec minùs plausibilis eorum, quibus *Aeoli ora* placent, apta ad ventum, de quo sequitur: quia tamen, vt iam dixi, omnes libri manuscripti, qui quidem hactenus superstites inspecti, *foliora* exhibent; videndum, num lectio vera statui possit, ne litterulâ vel additâ vel mutatâ. Nam si quis mutare, si addere, si demere quid velit, facile est aliquam lectionem exsculpere. Lego igitur sine vllâ mutatione, seiugatis tantùm vocibus, quæ malè coaluerunt in manuscriptis, *quòd imbres ac niues plumeas, & Foli ora dilatarit: ventus vnde oriatur, & quid sit.* Manifestè *Foli ora*, id est, *Pholi ora.* Vnus è Centauris *Pholus*, Ixionis ex nube filius: de quo Vir-

Virgilius Georgicorum ſecundo:

Centauros leto domuit, Rhætumq́; Pholumq́;.

Idem VIII. Æneid.

—— *Tu nubigenas inuicte bimembres*
Hylæumq́; Pholumq́; manu, tu Creßia mactas
Prodigia.

Pholi vnius è Centauris meminêre complures auctores, Theocritus Eidyll. VII. Q. Calaber libro VI. Paralip. Polyænus lib. I. Stratagem. Apollodorus libro II. Biblioth. Lucanus libro VI. Diodorus Siculus libro IV. Biblioth. Ouidius XII. Metam. Claudianus Præfatione in nuptias Honorij & Mariæ.

Ab hoc *Pholo* ibi ſepulto dictus mons Theſſaliæ *Pholoë*. Diodorus Siculus lib. iam dicto: Φόλον Ἡρακλῆς μεγαλοπρεπῶς ἔθαψεν ὑπὸ τὸ ὄρος, ὃ στήλης ἐνδόξου γέγονε κρεῖττον. Φολόη γὰρ ὀνομαζόμενον, διὰ τῆς ὁμωνυμίας μηνύει τὴν ταφέντα, καὶ οὐ δι' ἐπιγραφῆς. *Pholum magnificè Hercules tumulauit ſub monte; qui cippo aliquo illuſtri multò ipſi fuit præſtabilior. Nam Pholoë nuncupatus, non quidem inſcriptione aliquâ, ſed ipsâ nominis ſimilitudine, humati illic memoriam conſeruat.* Meminit & montis huius Plinius libro IV. cap. VI. Strabo libro VIII. Statius Papinius Achilleid. lib. II. & Thebaid. lib. III. Claudianus in Prologo lib. II. de rapt. Proſerpinæ, Lucanus lib. VII. Q. Calaber lib VII. Paralip. Orpheus in

Angonaut. Apollodorus suprà. Vnde Sidonio carmine v. *Pholoëtica monstra*, de Centauris Pholoën incolentibus.

Fabulosè Pholum hunc niues spuere creditum, existimauerim. quod Arnobius ex veterum fabulis & mythicis scriptis deprompserit. vnde & Sidonio *Pholoë niuosa* carmine IX.

Passim per Pholoën iacet niuosam.

Sic Enceladum fabulæ ferunt sub Ætnâ sepultum, & flammas eructare: Virgilius III. Æneid. Claudianus lib. I. de raptu Proserpinæ, Seuerus in Ætnâ. Hanc ego nunc obiter ex fabulâ Arnobio faculam infero: quæ si displicet, fauillis suis inalbescat. illa luceat, quæ splendore suo tenebras pellere, & lucem suam inextinctam tueri possit.

Nec illud dissimulauero, in ms. nostro Antuerpiensi disertè esse: *quod in bræsve niues plumeas & foliora dilatarit*. nam *ve* à recenti manu *l* pòst additum, vt facerent *vel*. Ex illâ igitur ms. lectione quis fortean exsculpat, *quod in breues niues plumeas, & foliola dilatarit*. Vt igitur antè dixit: *quid niuem in plumeas subaperiat crustulas*, ita nunc quærit, quid sit, quod niues dilatarit in breues plumeas & foliola. Notum quid *breuis* & *breue*. Sanè cùm iam de pluuiâ præcesserit, cur hîc de imbre agat? distinguitur quidem imber

imber à pluuiâ, quòd ille maioribus ad terram ſtillicidijs & iugi tenore effundatur, hæc minoribus & tardioribus: vtriuſque tamen guttæ ſunt. Arnobio mens, diſtinguere diuerſam inter tria hæc nubis meteora formam: ait igitur *torqueri* grandinem; pluuiam *guttatim* labi; niuem *dilatari in breues plumeas & foliola.* Sed de his ad Arnobium, ſiquando Deo viſum, copioſiùs.

CASAVBONVS. Cùm autem Ioſephus in hac lacus Genneſareth deſcriptione fontis meminerit, quem ait Caparnaum (ſic enim ſcriptum eſt, Καπαρναοὺμ) ab accolis vocitatum: ſubiicit Baronius; *non fontem tantùm, ſed ab eo denominatum fuiſſe oppidum Caparnaum.* Ego verò dubito, & falli Baronium ſuſpicor. Obſeruo enim Capharnaum ſiue Caparnaum oppidum Galilææ, & Capharnaum fontem in agro Genneſarethico, longiore interuallo fuiſſe inuicem diſſita, quàm vt fiat veriſimile, quod ſine teſte adfert Baronius.

ROSVVEYDVS. Ego verò non dubito, vbique te occaſionem captare contradicendi, nec eâ in re me falli exiſtimo. Et vbi quæſo obſeruaſti longius illud interuallum inter oppidum & fontem Genneſareth? an in aliquo vetuſto ſcriptore? Opinor in tabulis Chriſtiani Adrichomij, vel alterius cuiuſpiã de

Adrich. tab. de Trib. Nep.

de Terrâ ſanctâ: quibus ſi fidem adhibes, quin ſimul obſeruaſti deſertum Capharnai medium inter fontem Capharnaum, & ciuitatem Capharnaum: vt non mirum ſit, cùm nulla alia ciuitas ad littus lacus Genneſareth, ſeu maris Galilææ, ibi intercedat inter fontem Capharnaum, deſertum Capharnai, & ciuitatem Capharnaum, ab eâdem origine hæc duo poſteriora nomen ſortita. Quòd ſi VVolfangum VVeiſſenburgium de Capharnao ciuitate audis, *irrigatur*, inquit, *fonte ſaluberrimo, quem Ioſephus eodem appellat nomine.* Ita mirum non erit à fonte vrbi nomen eſſe. Quidquid ſit, à Baronio hîc recedendi, nulla tibi cauſſa fuit.

Weiſſenb. deſcript. Terr. ſanct.

CASAVBONVS. Malè accepit, vt equidem puto, mentem Ioſephi, ſi putauit proprium ipſi fonti, cuius Ioſephus meminit, nomen fuiſſe Capharnaum: ipſum enim nomen indicat ad illum fontem pagum fuiſſe ædificatum, cui illa appellatio propriè conueniret. Caphar enim villam ſignificat aut pagum. *Capharnaum* eſt pagus à Nahum ſic dictus, quod eſt viri proprium, vt vnius è Prophetis.

ROSVVEYDVS. Quid ni putaſſet fonti nomen fuiſſe Capharnaum, ita præeunte Ioſepho: Πρὸς γὰρ τῇ τῶν ἀέρων εὐκρασίᾳ, καὶ πηγῇ δ[illegible]

Ioſeph. l. 3 Bell. c. 35. ed. Gr.

διάρδεται ποτιμωτάτη, Καπαρναοὺμ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι, ταύτην φλέβα τοῦ Νείλου τινὲς ἔδοξαν. *Nam præter aëris lenitatem, & fonte quoque irrigatur vberrimo, qui Caparnaum ab indigenis appellatur. Eum nonnulli venam esse Nili fluminis opinantur.* Nec aliter Egesippus: *Ad hanc naturæ fertilitatem & aëris temperiem, accedit & fontis gratia, qui memoratam regionem genitali quadam irrigat infusione: Capharnaum nomen ei, quam Nili fluminis venam, haud superfluè quidam æstimauerunt.* Quòd pagum hîc eo nomine fuisse fingis, sine teste fingis: quam sine teste fictionem paullò antè obiiciebas Baronio. Hæsisses potiùs Hieronymi interpretationi, qui *Capharnaum* interpretatur *villam*, seu *agrum pulcherrimum*. Ipse in cap. XI. Matthæi: *Capharnaum interpretatur villa pulcherrima.* Idem in cap. XXXVIII. Ezech. *Capharnaum ager pulcherrimus dicitur.*

Egesipp. l. 3. Excid. Ierosol. c. 26.

Hieron. in c. 11. Matthæi.

Idem in c. 38. Ezechiel.

Equidem quocumque te verteris, Casaubone, omnem te occasionem reprehendendi Baronium captasse, quiuis cordatus lector intelliget. Nec vllum futurum puto, qui tuam potiùs de Capharnao originationem amplectatur, quàm D. Hieronymi, qui & in locis vicinis vixit, & tanto in Hebraicis litteris fuit doctior; vt felix fueris, si discipulus eius esse possis.

TABVLA IX.

Putida Casaubonianæ Grammaticæ contra Baronium disceptatio. Error varius Casauboni de momento conceptionis Christi. Diuinæ naturæ cum humanâ connubium, assensu Virginis firmatum.

Exerc. 1. cap. 27.

CASAVBONVS. Baronius de tempore loquens quo humanam naturam in vtero Mariæ Verbum Deus assumpsit, contigisse id ait, *Augusti Imperatoris anno ab inito per menses ferè quatuor Triumuiratu quadragesimo.* Vellem magis perspicuè rem tantam expressisset. quin aliquis non iniuriâ quæsierit an hæc Latina sit oratio. Nam *magistratum inire per quatuor menses*, quo exemplo dicatur, cupio doceri. Voluit autem hoc: Quando Christus est conceptus, annos Augusti pręteriisse, si ab inito Triumuiratu numerentur XL. & ferè menses quatuor. Hoc verum est: nam dies dumtaxat desunt tres pleno πεπληρώσθαι.

ROSVVEYDVS. Ego verò vellem non tam perspicuè hîc tuum expressisses, quà fas quà nefas, reprehendendi pruritum. Nescio quid semper calamo tuo, vbi etiam Baronius rectissimè dixit, suppuratur. Næ ille pro-

profectò rudis sit, qui non capiat quid verbis suis velit Baronius. Explicatione certè tuâ hîc opus non fuit. Latinitatem frustrà culpas, & vt culpare magis possis, dictionis eius formam inuertis. Rectè Baronius, *ab inito per menses ferè quatuor Triumuiratu*: tu ne rectè, *magistratum inire per menses quatuor*. Rectè *initum*, quia præteriti est temporis, iungi potest *mensibus quatuor*; non ita *inire*, quia præsentis. Quid ni cùm quis Triumuiratum gessit annis XL. & mensibus ferè quatuor, quatuor eos menses initio possit præponere? *ab inito per menses ferè quatuor Triumuiratu*. Quæ enim hîc differentia? anno ab inito per menses ferè quatuor Triumuiratu, quadragesimo; & si dicam, anno quadragesimo cum quatuor ferè mensibus ab inito Triumuiratu. Ridebit te Grammaticum posteritas, qui hîc argutus esse voluisti.

CASAVBONVS. Quæstionem verò de momento conceptionis Christi penitus esse omissam à Baronio in tantâ diligentiâ, nonnihil miror. Est enim elegans, nec planè curiosa, vt verba Euangelistarum rectè capiantur. Tres super eo magnorum auctorum sententias inuenio.

ROSVVEYDVS. Vide quæso Lector calumniatoris ineptiam. Tractauerat paulò

antè Baronius in Apparatu num. LXIX. de Zachariâ Ioannis Baptistæ patre, & accuratè probauerat eum nõ fuisse summum Pontificem. Quid ad hæc Casaubonus? *Hominem occisum occidit Baronius*, &c. *Cui non dictus Hylas*? Nunc cùm omittit Baronius quæstionẽ de momento incarnationis Christi, à tot interpretibus, tot Scholasticis accuratè tractatam, incuriæ arguitur. Quis ferat hanc calumniatoris importunitatem?

Producit igitur Casaubonus tres vbique obuias, in plurium viuentes scriptis sententias, vt de eo iam dici possit: *Hominem viuum viuificat Casaubonus*. Sed non ille Mercurius Psychagogus, qui animas ducere & reducere possit. Viuent, viuent illæ sententiæ in auctorum suorum scriptis, etiam sine Casauboni suscitabulo. Quamquam prudentiùs Baronius eas dissimulauit & præteriit, eâ solùm propositâ, quæ & ad Euangelistæ mentem, & ad Patrum magis consensum faceret: vt mendaciter scripserit Casaubonus, quæstionem de momento conceptionis Christi penitus esse omissam à Baronio. Sed videamus nunc illas tres magnorum virorum sentẽtias, quibus Exercitationes suas ornari voluit Casaubonus, & præ Baronio diligens videri. Vereor enim non multùm homini fidendum, cùm extra chorum

rum ſuum ſaltat, & relicto Athenæo, ſacrarum Litterarum interpretem vult agere.

CASAVBONVS. Prima eſt eorum, qui ante vel potiùs ſub ipſam ſalutationem ab Angelo factam concepiſſe Mariam putant: quod videntur exiſtimaſſe ij omnes, qui plenitudinem gratiæ, propter quam Virgini dictum eſt ab Angelo, Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετά σου, *Aue gratiâ plena, Dominus tecum*, interpretati ſunt de Chriſto iam concepto, & iam corpus Mariæ inhabitante. Sed obſtat huic opinioni, quòd etiam poſt hæc verba futurum tempus vſurpat Angelus, cùm ait, *concipies in vtero.*

ROSVVEYDVS. Fuit hæc quidem paucorum ſententia, ſed non diu obtinuit, aliorſum pendente cateruâ Patrum. Ita videtur ſenſiſſe Hieronymus epiſt. ad Principiam: *Sancta Maria quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter, plena gratiâ ſalutatur.* Ambroſius in Lucam; *Benè ſola plena gratiâ dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur auctore.* Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus Thaumaturgus: *Gratiâ plena, quia cum hac totus theſaurus gratiæ repoſitus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc ſola Virgo ſancta corpore & ſpiritu fuit: ſola fert eum, qui verbo portat omnia.*

Hieron. epiſt. 140. ad Principiam.

Ambroſ. in Luc. lib. 2., c. 2.

Gregor. Thau. Orat. 1. de Annunt.

Vide-

Videtur igitur his auctoribus *gratiâ plena* salutari; quòd in eâ iam habitaret Christus, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Sed alio sensu plenam gratiâ dici posse censent alij Patres, quos vide apud Sacrarum litterarum interpretes. Certè Baronium hîc negligentiæ arguere (quòd eam sententiam omiserit, quæ & paucorũ est, & pugnat cum Lucæ c. 11. ver. 21. vbi Christo dicitur nomen ab Angelo impositum, priusquam in vtero conciperetur, quæ nominis impositio post hanc de gratiæ plenitudine salutationem contigit) non video, quomodo non maioris temeritatis quàm diligentiæ hæc reprehensio sit.

Casavbonvs. Alij igitur censent, simul B. Virginem & auribus accepisse vocem Angeli dicentis, *concipies*, & in vtero concepisse: nam etsi dixit ille συλλήψῃ, *concipies*, non συλλαμβάνεις, *concipis*: voculam tamen ἰδοὺ *ecce* vrgent, & instans tempus eò volũt significari. Nicephorus Callistus lib. 1. cap. VIII. *Simul cum eâ ipsâ Gabrielis voce, intransibiliter æternum & antesæculare Verbum Dei descendit, & conditionem naturamq; nostram subijt.*

Rosvveydvs. Hîc verò quærere ex te liceat, Casaubone, qui illi alij sint: vnum pro-

producis Nicephorum, quem miror cur nunc inter viros magnos ponas, quorum te hîc ais ſententias producere, quem aliàs, cùm eius auctoritate vtitur Baronius, tibi non magnus, non paruus, ſed nihili potiùs ſit vir. Sed voluiſti, ſcilicet, noui nunc aliquid producere, vt diligentiâ Baronium videreris ſuperare: quod vt faceres, non puduit etiam à nihili tibi viro emendicare ſententiam. Sed non ſucceſſit tibi mendicimonium. Quem enim ille tibi ſincerum nummum ſuggeſſit, tu adulteraſti. Inſpice denuò. *Itaque in Nazareth cum Ioſepho domicilium illa habens, ab Archangelo Gabriele lætum accepit nuntium; Aue, dicente, gratiâ plena, Dominus tecum; & ſimul cum eâ ipsâ voce intranſibiliter æternum & anteſæculare Verbum Dei deſcendit.* Quòd etiam aſſeris ἰδοὺ *ecce* vrgeri à Patribus, quaſi ipſo momento, quo ab Angelo pronuntiatum eſt, Ἰδοὺ συλλήψῃ, *Ecce concipies*, Virginem concepiſſe, quia auctorē non producis, non facilè aliquis, ſæpè aliàs malè auctores citāti & intelligenti, ſine teſte credet. Theophylactus quidem in cap. 11. Lucæ ait: Si eo tempore conceptus fuiſſet Chriſtus, quo Angelus dixit, Ἰδοὺ συλλήψῃ, *Ecce concipies*, dicturum potiùs fuiſſe, Ἰδὲ συλλαμβάνῃς, *Ecce concipis*. Facit tamen pro tuo *ecce* Græcus interpres

Niceph. lib. 1. c. 8.

ἀμεταβάτως κάτειση ὁ σωματώνιος.

Apud D. Th. in c. 1. Luc.

terpres apud D. Thomam: Quod dicitur *ecce*, celeritatem & præsentiam denotat, insinuans cum eius verbo celebratam esse conceptionem. Quid nunc ais æruscator falsarie? vbi in Nicephoro tua inscriptio, *cõcipies?*

CASAVBONVS. Tertia eorum sententia est, qui concepisse Virginem aiunt, eâ quidem horâ quâ dicta illi hæc sunt ab Angelo, at non eodem momento, verùm quando voluit Deus: fortasse, aiunt isti, illicò post absolutos Angeli sermones. Rationem afferunt geminam: quia dixit Angelus, *concipies:* & quia verba post hanc editam vocem prolata ab Angelo, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῦ Ἰησοῦν, *vocabis nomen eius Iesum*, dicuntur à Lucâ fuisse pronuntiata ante conceptionem, cap. II. v. XXI. Theophylactus in caput alterum Lucæ.

ROSVVEYDVS. Duas tu caussas allatas vis à Theophylacto cur post absoluta Angeli verba suspicari quis possit cõceptum à Virgine Dominum. Imò verò neutrum in eum finem adfert. Ecce eius verba:

Theophyl. in c. 2. Luc.

Σημειώσαι ὅτι ἅμα τῷ εἰπεῖν τὸν ἄγγελον, Ἰδὲ συλλήψῃ γὰρ, σωζελήφθη ὁ Κύριος· ἀλλὰ μετὰ ταῦτα, ὅτε ἠθέλησεν. ὅρα γὰρ τί λέγει ἐνταῦθα, τὸ πληθὲν ὑπὸ τῦ ἀγγέλυ περὶ τῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ· καὶ ἀπ' αὐτῆς δὲ τῆς λέξεως δείκνυται τῦτο. ἐὰν γὰρ εἶπεν, Ἰδὲ συλλαμβάνεις· ἀλλ', Ἰδὲ συλλήψῃ. ὥστε

ὥστε ἐπὶ τέκνων ἐστὶ συλλογίσασθαι, ὅτι τῇ ὥρᾳ μὲν ἐκείνῃ σωτελήφθη ὁ Κύριος· οὐ μὲν ἀυτῇ τῇ σιγμῇ, καθ' ἣν ὁ ἄγγελος ἔλεγεν, ἀλλὰ τυχὸν ὅτε σωετέλεσε τὰς λόγους. Ταῦτα δὲ οὐ δογματικῶς λέγομεν. *Obserua autem quòd non statim vt dixit Angelus, Concipies filium, conceptus est Dominus, sed posteà quando voluit. Vide enim quid dicat hoc loco, quod vocatum est ab Angelo priusquam conciperetur in vtero. Et hoc verbo ostenditur id quod diximus. Non enim dixit, Ecce concipis: sed, Ecce concipies. Atque ex his animaduertere licet, quòd horâ quidem illâ conceptus fuerit Dominus: non autem illo momento quo Angelus dixit, sed fortè posteaquam compleuit sermones. Hæc autem non dixerimus definitiuè.* Tantùm ex verbis Lucæ cap. 11. improbat Theophylactus eorum sententiam, qui existimarunt Christum à Virgine conceptum statim post illa verba, Ἰδὲ συλλήψῃ, *Ecce concipies:* quod stare non posse cum Lucæ illo asserit, cùm ibi dicatur de Christi nomine, *quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in vtero conciperetur.* Ergo cùm Christo nomen priùs ab Angelo sit impositum, nondum conceptus erat tunc Christus. Non igitur statim post verba illa, Ἰδὲ συλλήψῃ, *Ecce cõcipies*, quę illam nominis ab Angelo impositionem præcedunt. Imò verò, inquit, si ad ea verba Christus fuisset con- Luc. 2. v. 21.

conceptus, dixisset potiùs Angelus, Ἰδοὺ συλλαμβάνεις, *Ecce concipis*. Nullis igitur rationibus suam firmat sententiam Theophylactus, sed eam simpliciter dumtaxat & sine vllâ asseueratione proponit; aliorum verò duabus istis rationibus infirmat opinionem, vt iam dixi.

Atque hactenus de triplici diuerso conceptionis momento à diuersis auctoribus assignato, quod Baronius non ex indiligentiâ, sed studio vel breuitatis vel moderationis præteriit, nolens falsis opinionibus Annales suos onerare potiùs quàm ornare; vnicam eamq; verissimam sententiam posuisse contentus. Quæ sanè quia à te vel malignè odio Virginis suppressa, vel otiosè nimis supineq; præterita, digna sanè est quæ hîc ex Baronio (quia eam mendaciter dicis penitus ab eo omissam) intexatur.

Baron. Appar. n. 76.

Cùm Gabriel, inquit Baronius, omnia" non humanitus sed diuinitus esse perficien-" da sanctissimam Virginem monuisset, ac" exemplo cognatę sterilis Elisabeth eamdem" certiorem reddidisset, ac firmasset; illa haud" cunctata, mirâ animi submissione præbens" suæ voluntatis assensum, hæc ait: *Ecce ancilla* " *Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*" moxque sic delapsum est Verbum in vte-" rum Virginis, vt ex eâ carnem assumens,"

quod

„ quod semper fuisset esse non desineret.

Rectissimè breuissimeq; Baronius. Quod ne temerè ab eo dictum existimes, quasi MARIÆ hîc aliquod meritum interceſſerit, quasi Deo indignum MARIÆ assensum præstolari, dabo hîc Patrum sententias, vt videas, quibus ducibus Baronius comitatus incedat: etsi solus ipse in campum processerit, ducibus interim in suis remanentibus tentoriis. Eos nunc in campum educam.

Basilius Seleuciæ Episcopus: Οἷς ὑπεξερχομένη φησὶν ἡ Παρθένος· Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου. εἶτα τὰ τῆς θείας συλλήψεως λοιπὸν, καὶ τῷ παρθενικῷ ἐνεργεῖτο ὑδατί. *Incurrens in Angeli sententiam Virgo, ait, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secũdùm verbum tuum. Ac deinde, quæ ad conceptum Domini faciebant, per vterum virgineum perficiebantur.* Basil. Seleuc. Homil. 31. de Annuntiat. D. V.

Augustinus Antistes Hipponensis: *Noli morari Virgo, nuntio festinanter respondè verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem: Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Nec mora, reuertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus, efficitur subitò prægnans beata Dei genitrix, & cuncta per sæcula prædicatur felix, concepit mox diuinitatem Verbi, virilis ignara consortij.* Aug. Ser. 2. de Annuntiatione, qui est 18. de SS.

Sedulius Paschalis operis libro 11. *Hæc* Sedul. l. 2. Pasch. c. 2.

postquam Prophetica sæpiùs vox prædixit, & Gabriël Angelus Mariæ iam præsenti annuntiauit, mox puellæ credentis in vtero fidelis Verbi mansit aspirata conceptio; proles q; siderea nascendi sub lege delituit, quæ cuncta suo nasci nutu concessit.

Gregor. Magn. l. 18. Moral. c. 36.

Gregorius Magnus: *Nuntiante Angelo & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentiâ, quæ est ei cum Patre & cum sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera, vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula temporalis posset esse in fine sæculorum, & per ineffabile sacramentum conceptu sancto, & partu inuiolabili secundùm veritatem vtriusque naturæ, eadem Virgo, & ancilla Domini esset, & mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me. Et ipsa concipiens dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Tomo 2. Concil. ante Concil. Aruernense.

Anastasius Papa ad Vrsinum: *Dignatus est post consensionem sanctæ Virginis, cùm dixit ad Angelum; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum; ineffabiliter sibi ex ipsâ ædificare templum. Et statim sibi vniuit, quod non coæternum de suâ substantiâ è cælo detulit corpus, sed ex massâ nostræ substantiæ, hoc est ex Virgine hoc accipiens, & sibi vniens,*

vniens, non Deus Verbum in carnem versus est, neque vt phantasma apparens, sed inconuertibiliter suam conseruauit essentiam, & primitias nostræ naturæ sibi vniuit.

Atque hinc quia MARIA Angelo credidit, quia obediuit; ea à Patribus inter Euam & MARIAM antithesis ponitur: vt quod Eua per inobedientiam, per incredulitatem, serpentis malignique genij fraude perdidit; MARIA per obedientiam, per fidem, bono internuntio Genio recuperarit.

Irenæus: *Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionẽ accepit per obedientiam* MARIÆ: *quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo* MARIA *soluit per fidem.* Irenæus lib. 3. c. 33.

Atque in primis ea sententia, quæ ante Angeli accessum MARIAM Deo grauidatam asserit, omnium ferè Patrum sententiâ refutatur: qui vt MARIAM Euæ, Gabrielem serpenti opponunt; ita per aures Euæ mortem, per Virginis aures vitam intrasse asserunt.

Irenæus: *Quemadmodum enim illa, id est Eua, per angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius: ita & hæc, id est* MARIA, *per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Virgo* MARIA *fieret aduocata,* Idẽ. lib. 5. c. 19.

cata, & quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, soluatur per Virginem.

Tertull. lib. de carne Christi, cap. 17.

Tertullianus: *Sed & hîc ratio defendit, quòd Deus imaginem & similitudinem suam à diabolo captam æmulâ operatione recuperauit. In virginem enim adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis; in Virginem æquè introducendum erat Dei verbum exstructorium vitæ: vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit* MARIA *Gabriëli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.*

Gregorius Thaumat. Serm. 1. in Annunt. B. Mariæ.

Gregorius Thaumaturgus. Οὐχ ὡς ἡ [a] πρώτην παρθένος Εὖα μόνη ἐν παραδείσῳ χορεύουσα, χαυνὴ τῇ διανοίᾳ, ἀπεριέργως παρὰ τοῦ ἀρχεκάκου ὄφεως τὸν λόγον ἐδέξατο, καὶ οὕτως ἐφθαρή [b] τὸ τῆς διανοίας φρόνημα. καὶ δι' αὐτῆς ὁ δόλιος τὸν ἰὸν ἐκχέας, καὶ τὸν θάνατον συγκεράσας, εἰς πάντα τὸν κόσμον εἰσήγαγεν· καὶ διὰ τοῦτο [c] πᾶς ὁ μόχθος τῶν ἁγίων ἐγένετο. ἀλλ' ἐν μόνῃ τῇ ἁγίᾳ Παρθένῳ, τὸ ἐκείνης [d] πταῖσμα ἀνασέσωσται· καὶ οὐ πρότερον ἡ ἁγία τὸ δῶρον ἐκαρτέρησεν ὑποδέξασθαι, πρὶν ἂν μάθῃ τίς ὁ πέμπων, καὶ τί τὸ δῶρον, καὶ τίς ὁ φέρων. *Non sicut* anteà virgo Eua sola in paradiso chorum agens atque tripudians, relaxatâ mente per incuriam, ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit; & sic sensu* mentis cor-*

a πρώτη
b ἀλλ. τῷ τῆς καρδίας φρονήματι.
c ἀλλ. ἅπας
d ἀλλ. πτῶμα

* al. *prima virgo*

*al *mente cordis*

corrupta est, ac per ipsam fraudulętus venenum effundens, mortémque admiscens, in omnem mundum introduxit: ac propterea omnis sanctorum ærumna nata est: verùm in solâ sanctâ Virgine eius lapsus reparatus est. Neque priùs sanctissima Virgo donum admisit, quàm quis illud mitteret, & quodnam donum esset, ac quis ferret, addidicisset.

Augustinus: *Et quoniam diabolus per serpentem Euæ locutus, per Euæ aures intulit mortem; Deus per Angelum ad* MARIAM *protulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit: Angelus sermonem eiecit, & Christum Virgo concepit. O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula!* Et sermone 18. de Sanctis: *Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti* MARIA. *Eua occidendo obfuit,* MARIA *viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientiâ enim obedientia commutatur, fides pro perfidiâ compensatur.* Ibidem: *Circumdat virum* MARIA *Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo.*

August. vel quis alius apud eum, Ser. 15. de tempore, qui est 11. de Nat. Domini.

Aug. Ser. 18. de SS. qui est 2. de Ann.

Dicam ampliùs ad fidem Baronio, ad auctoritatem eius sententię conciliandam, non obedientiam tantùm Virginis, non humilitatem tantùm considerasse sanctos Patres,

D. Thom. 3. p. q. 30. a. 1. sed prętereà cùm spirituale inter filium Dei & humanam naturam connubium Angelo paranympho contrahendum esset, Virginis hîc assensu opus fuisse, vt tabulæ matrimoniales conscribi possent, & virginale illud ebur cælesti penicillo depingi. Rectè enim

Theophyl. in c. 1. Luc notat Theophylactus, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini*, perinde esse ac si dixisset, Ἰδὲ φύναξ εἰμὶ ζωγραφικός· ὁ βούλει ὁ γραφεὺς, γραφέτω· *Ecce tabula sum pictoria; pingat pictor quod voluerit.*

Ambr. in c. 1. Luc. Ambrosius: *Nec sanè ita operatur Deus in electis suis, vt artifex in materiâ inanimatâ & insensibili. Requirit enim ille assensum nostrum, quem etiam Angelus ex Virgine assecutus est, cùm illa dixit: Ecce ancilla Domini.*

Chrysol. Serm. 140. Chrysologus: *Ad Virginem Deus aligerum portitorem mittit: nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam; fidem refert, & tradit munere virtutis, qui mox virginei consensus resoluit sponsionem.*

Ioan. Damas. l. 3. c. 2. de Fid. Orth. Ioannes Damascenus: Ἡ δὲ [MARIA] πρὸς αὐτόν· Ἰδὲ ἡ δούλη Κυρίε, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου. Μετὰ οὖν τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας Παρθένου, Πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν καὶ τὸ τοῦ Κυρίου λόγον, ὃν εἶπεν ὁ Ἄγγελος, καθαίρον αὐτὴν, καὶ δυνάμιν δεκτικὴν τοῦ τοῦ Λόγου θεότητος παρέχον, ἅμα δὲ καὶ γονιμικήν. *At tum ipsa* [MARIA] *ad eum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi*

mihi secundùm verbum tuum. Quocircà post sanctæ Virginis assensum, Spiritus sanctus superuênit in eam, iuxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus, eam lustrans, & virtutem diuinitatis Verbi susceptiuam præbuit, simul autem & generatiuam.

Sed omnium elegantissimè D. Augustinus cęlestis nobis paranymphi officium, Virginis pudorem, modestam eius retractationem, prudens colloquium, & plenum tandem assensum expressit. Quo iuuat hanc tabulam velut aurato limbo inorare.

Respondeiam Virgo sacra. Vitam quid tricas mundo? Assensum tuum Angelus præstolatur, inde est quòd nuntius iste moratur. Iam audisti, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cæli quondam per Adam clausa iam sonuit, per ipsam nuntius iste processit. Deus in portâ est, Angelum quem moraris exspectat. O beata Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus fidei suæ obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est misit, claustrum quod iniquitas nostra cælo infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris, & tibi: quia nobis pœna succussit, & tibi nuptias Filio

August. vel quis alius apud eum, Ser. 17. de Nat. Dom. qui est Ser. 21. de Tẽp.

ſuo in tuo thalamo Pater præparabit. Deus in ipſis ſponſalibus gaudiis relaxat quidquid eum offenderat mundus.

O & tu Angele tanti Regis nuntie, & ſecreti diuini legate, qui ex palatio Imperatoriæ Maieſtatis indulgentiam reddis criminoſis, vitam mortuis, & pacem ſacrã attuliſti captiuis, vrge Virginem non de Dei munere diffidentẽ, ſed de muneris magnitudine cogitantem. Faue partibus ſæculi, conſcius ſecretorum cæli: lætabuntur ſocij tui, ſi negotium iueueris mundi. Nos à veſtro conſortio impietatis mucro diuiſit, per vos de reditu noſtro tractatur. Inſpice ſqualentem noſtri carceris miſeriam, & loquere feſtinus ad Mariam:

Vſquequò moraris, ô Virgo, nuntium feſtinantem? Intuere Deum in cæli me veſtibulo ſuſtinentem, reſpõde verbum, & ſuſcipe filium. Da fidem, & ſenti virtutem. Pande ſinus roſeos Virgo perpetua, fides tua modò aut aperit cælum, aut claudit.

Ecce, inquit, ancilla Domini, introeat Rex in cubiculum ſuũ, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Nec mora, reuertitur nuntius, & nuptialem thorum ingreditur Chriſtus. Accepit ſtolam carnis in thalamo Virginis, intra theſaurum maieſtatis ſacculum carnis ceſſit. Diuinitati ſponſatur homo, præmium accipit caro.

Nihil ad hunc aureum limbum addo.

TABV-

TABVLA X.

Solus Petrus inter Apostolos fidei nostræ fundamentum ac basis. Non tamen ideò fidei auctor. Hallucinatio noui Theologastri Casauboni, non distinguentis inter auctorem fidei & auctorem canonis fidei.

CASAVBONVS. Est in confesso apud omnes pios, cælestis doctrinæ dogmata, neq; auctorem alium posse habere quàm Deum; neque aliunde quàm à Deo auctoritatem posse accipere. Propterea Christus veritati quam Petrus pronuntiauerat, velut sigillum imponit, & confert auctoritatem. Quare intolerabilis est Baronij ad hunc locum oratio: *Petrus caussam definit, decernit, fidei canonem constituit: quid de fide sentiendum esset, solus Petrus clauum fixit.* At per Deum immortalem, quis veterum Patrum ita locutus est? quis dixit solum Petrum fidei nostræ fundum esse ac basim? quis piorum hactenus non credidit, Prophetas & Apostolos fuisse ministros voluntatis Dei, præcones ac nuntios, fidei auctorem solum Deum? *Exerc. 15. c. 12.*

ROSVVEYDVS. Næ tu hîc extremæ ignorantiæ, iam non vnum, vt olim Roma-

nus, ſed tres nouus Dictator nouos clauos figis. Negas ſolum Petrum fidei hîc clauum figere, negas eum fidei fundamentum ac baſim; calumniaris, quaſi Baronius eum fidei auctorem dixerit.

Quid mirum *ſolum* Petrum, quid de fide ſentiendum eſſet, clauum hîc figere, cùm ipſe *ſolus* myſterium hoc *ignorantibus ceteris* intellexerit?

Hilar. in c. 14. Mat.

Hilarius in caput XIV. Matthæi: *Hoc in Petro conſiderandum eſt, fide eum ceteros anteiſſe. Nam* IGNORANTIBVS CETERIS *primus reſpondit: Tu es Filius Dei viui.*

Baſil. Seleuc. Orat. 25. in illud: *Quem me dicunt.*

Baſilius Seleucienſis Epiſcopus: Εἰδὼς δὲ τὴν ΑΓΝΟΙΑΝ, ὑποβάλλει τῷ Πέτρῳ θεϊκῶς ἀπόκρισιν, καὶ κλίνει τὴν κορυφαῖον· πρὸς ἣν αὐτὸς ἐκινήθη φωνὴν, καθάπερ κιθάραν λογικὴν διαναστήσας τοῖς κρούμασιν. ὑπηρέτῃ διδασκαλίας τῇ τοῦ Πέτρου γλώττῃ χρησάμενος ἐρωτᾷ τοὺς ΑΓΝΟΟΥΝΤΑΣ, καὶ ὑποτίθεται τὴν ἀπρόκρισιν· Σὺ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. ὃ οὐκ εἶχεν ἡ γνῶσις, ἡ χάρις ἐφθέγγετο. βεβαιώσας δὲ τοῖς ἐπαίνοις τὴν λόγον, παιδεύει τοὺς ἅπαντας. Μακάριος εἶ Σίμων Βαριωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ Πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. μακαρίζει τὴν Πέτρον, ἵνα τὸν λόγον πιστώσηται. ἐπαινεῖ τὴν ἀπόκρισιν, ἵνα τὴν γνώμην χαρίζηται· καὶ μετὰ τῶν ἄλλων μαθητῶν διδασκόμενος ὁ Πέτρος συνεξερεύγετο τῷ διδασκάλῳ τὴν δόξαν. τότε καὶ αὐτὸς διδασκόμενος

μῦθος ὅτε διδασκεῖν ἐφαίνετο. IGNORANTIA *cognitâ, Petro diuino quodam modo responsum subiicit; & ad quam vocem sponte mouebatur, primatem inclinat, velut citharam quamdam ratione præditam excitans. Petri linguâ in obsequium doctrinæ vsus rogat* IGNORANTES, *& responsionem suppeditat, Tu es Christus Filius Dei viui. Quod scientia non poterat, gratia proloquebatur. Eam verò orationem cùm firmauisset approbatione suâ, omnes condocefacit: Beatus es Simon Bar-iona; quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed; Pater meus, qui in cælis est. Petrum felicem adserit, vt orationi fidem conciliet; vt sententiæ gratiam, responsionem allaudat. Et dum in aliorum cætu discipulorum Petrus docetur, simul eructat, & adscribit Magistro gloriam: tunc & ipse docebatur, cùm docere videbatur.*

Euthymius: SOLVS *Petrus verè Christum & naturâ & propriè filium Dei hunc esse intellexit.* Euthym. in Matth. c. 16.

Si SOLVS intellexit & credidit, nónne rectè *solus* fidei clauum fixit, fidei nostræ seu Ecclesiæ *fundus* seu *fundamentum*, *basis* seu *crepido* dici potest? maximè cùm post hanc *solius* deuotionem, *soli* dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16.

Origenes Homil. v. in Exodum: *Vide, magno* Orig. Homil. 5. in Exod.

gno illi Ecclesiæ FVNDAMENTO, *& petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino*. Item in Tractatu III. in Matth. *Petrus per promissionem meruit fieri Ecclesiæ* FVNDAMENTVM.

Orig. tractat. 3. in Matth.

Hilar. in c. 16. Mat.

Hilarius in cap. XVI. Matth. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ* FVNDAMENTVM: *dignaq; ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret.*

Nazianz. Orat. 26. de mod. in disp. seru.

Nazianzenus Orat. XXVI. de moderatione in disputando seruandâ: Πέτρα δὲ πέτρα καλεῖται, καὶ τὰς ΘΕΜΕΛΙΟΥΣ τῆς Ἐκκλησίας πίστεται. *Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ* FVNDAMENTA *fidei suæ concredita habet.*

Aug. Ser. 29. de SS.

Augustinus Serm. XXIX. de Sanctis: *Dignus certè* (Petrus) *qui ædificandis in domo Dei populis, lapis esset ad* FVNDAMENTVM, COLVMNA *ad sustentamentum,* CLAVIS *ad regnum.* Item Serm. de tempore CXXIV. *Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ: in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem: in ipsâ confessionis Christi* CREPIDINE, *in ipso immobilis fidei* FVNDAMENTO, in Petro scilicet.

Idem Ser. 124. de tē

Philipp. Presb. in Con. Eph. part. 2. art. 3.

Philippus Presbyter in Concilio Ephes. Græcolat. Parte II. Act. III. Οὐδενὶ ἀμφίβολόν ἐστι, μᾶλλον δὲ πᾶσι τοῖς αἰῶσιν ἐγνώσθη, ὅτι ὁ ἅγιος καὶ μακαριώτατος Πέτρος, ὁ ἔξαρχος καὶ κεφα-

κεφαλὴ τῶν Ἀποστόλων, ὁ ΚΙΩΝ τῆς πίστεως, ὁ ΘΕΜΕΛΙΟΣ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σωτῆρος καὶ λυτρωτοῦ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἐδέξατο· καὶ αὐτῷ δέδοται ἐξουσία τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν ἁμαρτίας, ὅς τις ἕως τοῦ νῦν, καὶ ἀεὶ, ἐν τοῖς αὐτοῦ ἁγιωτάτοις καὶ ζῇ, καὶ δικάζει. *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, quòd ſanctus beatiſſimuſq; Petrus Apoſtolorum Princeps & caput, fideiq; COLVMNA, & Eccleſiæ Catholicæ FVNDAMENTVM, à Domino noſtro IESV Chriſto, ſaluatore humani generis ac redemptore, claues regni accepit: ſoluendiq; ac ligandi peccata, poteſtas ipſi data eſt; qui ad hoc vſq; tempus, & ſemper in ſuis ſucceſſoribus viuit, & iudicium exercet.*

Concilium Chalced. Act. III. Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος, καὶ πανεύφημος Πέτρος Ἀπόστολος, ὅς ἐστι Πέτρα, καὶ ΚΡΗΠΙΣ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ τὸ ὀρθοδόξου πίστεως ὁ ΘΕΜΕΛΙΟΣ. *Ter beatiſſimus & omni laude dignus beatus Petrus Apoſtolus, qui eſt petra & CREPIDO Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei FVNDAMENTVM.* Concil. Chalced. Act. 3.

Hìc quoque diſce, nouelle Theologaſter, non omnem, qui fidei canonem conſtituit, fidei auctorem eſſe. Veriſſimè enim fidei ſolus auctor Deus. Concilia & Pontifices, dum fidei canones condunt, non illi rem aliquam fidei

fidei faciunt, quæ anteà in se talis non fuit; sed declarant, definiunt, decernũt rem eam, quæ semper Deo auctore fidei in se fuit; quo-ad nos quoque esse debere. Valdè hæc inter se dissident: *Auctor fidei*, &, *Auctor canonis fidei*. Auctor fidei solus Deus, auctor canonis fidei Petrus, Pontifex. Quare D. Petrus dum Christum pronuntiat Filium Dei, non ille nunc primùm rem eam veram, & fidei in se esse facit: sed professione suâ nobis præit, vt eidem credulitatem adiungamus. Ita rem dubiam firmat Ecclesiæ auctoritas ex mente Augustini. *Palàm est, quòd in re dubiâ ad fidem valeat auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, vsq; ad hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione confirmatur*. Atqui omnes sedes Apostolorum interiêre, vnâ Petri exceptâ; quæ sola totam Ecclesiam Catholicam repræsentat.

Dist. 11. c. 9. ex August. l. 11. con. Faust. Manich. c. 2.

CASAVBONVS. Mitto absurditatem absurdissimam, & impietati proximam; in eo Concilio (sic enim vult Baronius) cui IESVS Christus verus Deus interesset, confessorum aliquem solum ferre leges de fidei articulis. Nemo vmquam tantæ fuit auctoritatis, cuius sententia in aliquo Concilio dicta ac probata, auctoritatem acciperet à personâ dicentis potiùs quàm ab vniuerso Con-

Concilio. Longè aliter Basilius Seleucien-sis, sermone illo, cuius antè memini; Petrum in toto hoc colloquio non principis, non magistri, sed discipuli partes egisse; & cùm videatur docere, ipsum tamen reuerà, vt vnum è ceteris Apostolis, didicisse, non docuisse: Μετὰ τ̃ ἄλλων μαθητ῀, inquit, διδασκόμενος ὁ Πέτρος συνεξεδύετο τῷ διδασκάλῳ τ̃ δόξαν. *Cum ceteris discipulis docebatur Petrus, & gloriam Magistro eructabat.* Et iterum: Τότε κ῀ αὐτὸς διδασκόμενος, ὅτε διδάσκειν ἐφαίνετο. *tunc & ipse docebatur, cùm docere alios videbatur.* Facessat igitur commentum Baronianum de Concilio, in quo Petrus præsente Filio Dei articulos fidei condit. Quam fabulam reperti sunt qui tanti facerent, vt suppresso auctoris nomine in sua scripta eam referrent: quod fecit Lucas Brugensis, eruditus alioqui vir, ad istum Matthæi locum.

ROSVVEYDVS. Quasi verò vnus & idem non *discipulus* esse possit respectu Dei & Christi, & *Doctor* respectu Ecclesiæ & aliorum collegarum? Hippolytus de consummatione sæculi: Πέτρος ὁ Πέτρος, ἡ πέτρα τ῀ πίστεως, ὃν ἐμακάρισε Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ τ῀ Ἐκκλησίας, ὁ πρῶτος μαθητὴς, ὁ τὰς κλεῖς τ῀ βασιλείας ἔχων, ἐδίδαξεν ἡμᾶς. *Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum indicauit*

cauit Christus Deus noster, ille DOCTOR *Ecclesiæ, ille primus Apostolorum, qui claues regni habuit,* DOCVIT *me.* Ipse locus Basilij allatus, habet Petrum docuisse discipulos, & à Christo didicisse. *Eructabat* igitur Petrus iuxta Basilium, quod à Christo didicerat; vt olim Dauid: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Eructabat vtique vt Propheta, vt Doctor.

Cùm Lucam Brugensem à Baronio fictam fabulam tanti facere asseris, vt eam in scripta sua retulerit, vellem fibulam calamo tuo fixisses. Quídni Franciscus Lucas non fabulam, sed è Sacris litteris erutam historiã magni faciat, in scripta sua referat, cuius iam prima lineamenta Euangelistæ præscripserant? Quem hîc fidei clauum figit Petrus, quem hîc Concilij celebrandi typum agnoscit cum Baronio Lucas; numquam tu refiges, numquam abolebis, Casaubone. Et quidem si ad Franciscí Lucæ (quem iure merito eruditum virum appellas) in Euangelia commentarium sæpè diuertas, næ tu semper doctior redibis. Vir ille nunc est grandi ætate, ad S. Audomari Decanus meritissimus, qui ab adolescentiâ suâ in Sacras litteras incubuit, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ linguæ apprimè peritus. qui insignem quoque operam Regijs Biblijs accuran-

curandis nauauit: & iam olim annis abhinc XXXIV. Notationes suas in Biblia, primum industriæ specimen dedit. Pergit ille nunc suum in omnia Euangelia Commentarium pertexere, non de Nouatorum licijs, titiuilicijs, sed de aureo sanctorum Patrum subtegmine, auratam nobis telam daturus.

TABVLA XI.

Sibyllarum oracula rectè olim à SS. Patribus ad fidei confirmationem allata. Non dubitauêre de ijs limatioris iudicij Catholici. Falsum glossema Augustino appictum à Casaubono.

CASAVBONVS. Disseruit anteà Cardinalis Baronius super vaticinijs de venturo Christo, veteri Testamento comprehensis: nunc de oraculis eódem spectantibus, quæ apud Gentes fuerunt edita, sermonem instituit: *Consilium Dei fuit*, inquit, *vt longè ante Christi aduentum, tantæ rei sacramentum Iudæis atque Gentilibus innotesceret.* Profert deinde vates Gentilium, per quos de his quę ventura erant, voluit ipsos Deus præmoneri, Mercurium Trismegistum, Hydaspem, atque Sibyllas. *Exerc. 1. cap. 10. Apparat. n. 18.*

ROSVVEYDVS. Quid ni proferret Baronius ea Gentilium vatum testimonia in

aliquam ſaltem fidei noſtræ commendatio-
nẽ, cùm & ea ab antiquiſſimis Patribus pro-
ducta videret ad Gentilitatẽ reuincendam?
Aug. cont. Fauſtum Manich. li.13.c.15. Præclarè D. Auguſtinus: *Sibylla porrò vel Sibyllæ & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alij vates, vel Theologi, vel ſapientes, vel Philoſophi Gentium, de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixiſſe ſeu dixiſſe perhibentur: valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam: cùm illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos, idola & dæmonia colenda, partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt.* Qui ibidem quid inter Gentilium Deiq́ue vates interſit, ſubdit: *Quamobrem, quantum diſtat de Chriſti aduentu inter prædicationem Angelorum & confeſſionem dæmonum, tantum inter auctoritatem Prophetarum & curioſitatem ſacrilegorum.*

Baronius quoque D. Paulum Sibyllarum vſum teſtimonio legerat apud Clementem
Cl. Alex. l.6.Strom. Alexandrinum: Καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἠβούλετο ὁ Θεὸς, τοὺς Προφήτας διδοὺς· οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους, οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ Προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἷοί τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν. δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι, ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος· Λάβετε καὶ τὰς Ἑλλήνι-

λληνικὰς βίβλους· ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες, ἀνάγνωτε· καὶ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν Υἱὸν Θεοῦ, καὶ καθὼς παράταξιν ποιήσουσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς, μισοῦντες αὐτὸν, καὶ τοὺς φορουῦτας τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τοὺς πιστοὺς αὐτοῦ, καὶ τὴν ὑπομονὴν καὶ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ. *Quomodo Deus Iudæos saluos esse voluit, dans eis Prophetas: ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam, à vulgo secreuit. præter Petri prædicationem, declarabat Paulus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura: & Hystaspen sumite, & legite, & inuenietis Dei Filium multò clariùs & apertiùs esse scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi Reges instruent aciem, qui eum habent odio, & eos qui nomen eius gestant, & eius fideles, & eius tolerantiam & aduentum.*

Et quidem tam frequens fuit veteribus Christianis, Sibyllas Prophetides existimantibus, Sibyllarum vti testimonio, vt inde Sibyllistæ, salso, vt Celsus putauit, scommate sint dicti: Εἶπε δέ τινας εἶναι καὶ Σιβυλλιστάς. τάχα παρακούσας τινων ἐγκαλουύτων τοῖς οἰομένοις προφῆτιν γεγονέναι τὴν Σίβυλλαν, καὶ Σιβυλ- Orig. cont. Celsum, lib. 5.

λισὰς τοὺς τοιούτους καλεσαίτων. *Facit etiam mentionem nescio quorum Sibylliſtarum, fortaſſe quòd audierat à quibuſdam improbari eos qui Sibyllam Prophetidem exiſtimant, notariq; Sibylliſtarum nomine.*

CASAVBONVS. Quòd Clemens Alexandrinus Paulum ipſum inducit Græcos reiicientem ad libros Sibyllinos, & ad Hydaſpis oracula, vt de Filio Dei veritatem inde hauriant, traditio eſt, nullâ fide digna.

ROSVVEYDVS. Et vnde tibi, quæſo, Caſaubone, tot ſæculis ab ætate Pauli remoto conſtat, traditionem illam nullâ fide dignam? Credet potiùs poſteritas, nullâ fide dignam hanc tuam notationem, & Clementi ſua fides de Paulo conſtabit, qui duobus tantùm ſęculis Paulo eſt poſterior, quo tempore recens eius traditionis erat memoria. Et ſanè, mirúmne Paulum quædam de Sibyllis allegaſſe, qui etiam Poëtarum Gentilium, qui inſcriptionum publicarum non refugit auctoritatem?

CASAVBONVS. Neque Baronio aſſentior illi narratiunculæ fidem eo argumento adſtruenti, quòd etiam in ſcriptis Pauli Græci Poëtæ reperiantur laudati. Nam vbi de fide & doctrinâ cælitus reuelatâ agitur, numquam humanis teſtimonijs Apoſtolus vtitur.

ROSVVEYDVS. Ain' ſobriè an ſeriò? Quid?

Quid? Non doctrina cęlitus reuelata, Deum complere omnia; in eo nos esse, in eo moueri, in eo viuere? ad quod tamen inculcandum Poëtæ Arati testimonio vtitur Paulus: IPSIVS ENIM ET GENVS SVMVS. Non fides cælitus hausta, non doctrina cęlitus reuelata, vnum Deum esse? & tamen vt huiusce rei notitiam Atheniensibus imprimat Paulus, ab inscriptione fortuitò oblatâ occasionem sumit. Rectè Clemens Alexandrinus: Ἐπεὶ οὖν μαρτυροῦνται ἀληθῆ τινα δογματίζειν καὶ Ἕλληνες, ἔξεστι κἀντεῦθεν σκοπεῖν. ὁ Παῦλος ἐν τῇ Πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ἀναγράφεται λέγων πρὸς τοὺς Ἀρεοπαγίτας· Δεισιδαιμονεύστέρους ὑμᾶς θεωρῶ· διερχόμενος γὰρ καὶ ἱστορῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον βωμὸν, ἐν ᾧ ἀνέγραπτο, ΑΓΝΩΣΤΩΙ ΘΕΩΙ, &c. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμὲν, ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασιν·

—— Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

ἐξ ὧν δῆλον ὅτι καὶ ποιητικοῖς χρώμενος παραδείγμασιν ἐκ τῶν Ἀράτου Φαινομένων, δοκιμάζει τὰ παρ' Ἕλλησι καλῶς εἰρημένα· καὶ διὰ τοῦ ἀγνώστου Θεοῦ τιμᾶσθαι μὲν κατὰ περίφρασιν πρὸς τῶν Ἑλλήνων, τὸν δημιουργὸν Θεὸν ᾐνίξατο. κατ' ἐπίγνωσιν δὲ δεῖν δι' Υἱοῦ παραλαβεῖν τε καὶ μαθεῖν. *Cùm itaq; testimonio comprobetur Græcos vera quædam habere dogmata, id hinc quoque licet considerare. Scribitur in Actis Apostolorum Paulum hæc dicere ad Areopagitas: Superstitiosiores*

Act. 17.

Clem. lib. 1 Strom. c. 9.

Act. 17.

vos video. Præteriens enim & videns simulachra vestra, inueni & aram in quâ scriptum erat, IGNOTO DEO,&c. *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt:*

Ipsius enim & genus sumus.

Ex quibus clarum est quòd etiam Poëticis vtẽs exemplis, ex Arati Phænomenis approbat, quæ apud Græcos rectè dicta sunt, & per ignotum Deum, honorari quidem per circumlocutionem à Græcis opificem Deum significauit, ex agnitione autem oportere per Filium accipere & discere.

Hieron. in cap. 50. Isaiæ. Matth. 24. Act. 17.

Hieronymus in caput L. Isaiæ: *Magnæ scientiæ est, dare in tempore conseruis cibaria, & audientium considerare personas. Vnde & Apostolus Paulus, his qui Prophetarum fidem non recipiebant, auctorum suorum loquitur testimoniis: Sicut quidam de vestris Poëtis dixerunt:* HVIVS ET GENVS SVMVS. Non hîc, dum ad fidem non recipiuntur Prophetarum testimonia, ad Ethnicos itur? & hoc prudentiæ deputatur?

Hieron. ep. 84.

Idem epistolâ LXXXIV. ad Magnum oratorem Romanum: *Quis enim nesciat, & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse?* Et postquam Paulum docuit,

docuit Epimenidis Poëtæ vsum versiculo, Menandri senario, Arati hemistichio, subiungit: *Ac ne parum hoc esset, ductor Christiani exercitus, & orator inuictus, pro Christo caussam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in* ARGVMENTVM FIDEI. *Didicerat enim à vero Dauid, extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare.* Tit. 1. 1. Cor. 15. Act. 17.

Vides nunc, Casaubone, quàm temerè asserueris, vbi de FIDE agitur, numquam humanis testimoniis vsum esse Paulum; cùm Hieronymus asserat in ARGVMENTVM FIDEI fortuitâ eum inscriptione vsum. Quod adeò olim à Patribus, cùm contra Gentes agerent, obseruatum, vt Cyprianus aduersus Demetrianum scribẽs, quia Sacris litteris, & non sæculari litteraturâ vsus sit, reprehensionem incurrerit: *Cyprianus*, inquit Hieronymus, *vir eloquentiâ pollens & martyrio, Firmiano narrante mordetur, cur aduersus Demetrianum scribens testimoniis vsus sit Prophetarum & Apostolorum, quæ ille ficta & commentitia esse dicebat, & non potiùs Philosophorum & Poëtarum, quorum auctoritati vt Ethnicus contraire non poterat.* Hieron. ep. 84. Lactant. l. 5. cap. 1. & 4.

Quamobrem Ioannes Chrysostomus rationem hanc adfert, cur D. Paulus contra Gentiles agens Gentilium testimoniis vsus

Chryſoſt. hom. 3. in Tit.

ſit: Ὅπερ μάλιστα τούτοις ἐνδεπόμεθα αὐτούς, ὅταν οἰκοθεν ἐνέγκωμεν τὰς μαρτυρίας, καὶ τὰς κατηγορίας, ὅταν τοὺς παρ' αὐτοῖς θαυμαστοὺς τούτοις ἀπιστήσωμεν αὐτοῖς αἰτιωμένοις. *Quòd illos his maximè reuincimus, cùm ſuorũ in eos torquemus maledicta, quoties eos qui apud eos fuêre mirabiles, accuſatores illorum conſtituimus.*

Chryſoſt. ibid.

Ita eumdem non Euangelio vſum contra Iudæos, ſed veteri Teſtamento, idem aſſerit: Ἀλλὰ πόθεν ἐχρῆν αὐτοῖς διαλεχθῆναι; ἀπὸ τῶν Προφητῶν; ἀλλ' οὐκ ἂν ἐπίστευσαν. ἐπεὶ καὶ Ἰουδαίοις οὐδὲν ἀπὸ τῶν Εὐαγγελίων φθέγγεται, ἀλλ' ἀπὸ τῶν Προφητῶν. διὰ τοῦτό φασιν, ἐγὼ μὲν τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον. *Quid ergo? Num ex Prophetis ſibi ſumenda erant teſtimonia, cùm Gentiles alloqueretur? At numquam illi credidiſſent, quippe & Iudæis nil ex Euangelio loquitur, ſed Prophetarum teſtimonia ſemper adducit in medium. Idcircò, inquit, factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, his qui ſine lege erant tamquam ſine lege eſſem, & his qui ſub lege, quaſi ſub lege ſim.*

Quod ipſum Pauli factum Dei ipſius exemplo probat, qui ſtellæ vnius ducatu (quâ ſcientiâ maximè valebant) Magos ad fidem

Chryſoſt. ibid.

adduxit: Τοῦτο δὲ ὁ Θεὸς ποιεῖ· οἷον ὅτι τῶν Μάγων, οὐ δι' Ἀγγέλου αὐτοὺς ἄγει, οὐ διὰ Προφήτου, οὐ δι' Ἀποστόλου, οὐ δι' Εὐαγγελιστοῦ· ἀλλὰ πόθεν; διὰ

διὰ ἄστρου. ἐπειδὴ γὰρ περὶ ταῦτα τὴν τέχνην εἶχον, ἐκεῖθεν αὐτοὺς εἵλκυσε. *Fecit hoc Deus & in Magis, non illos per Angelum ducit, non per Prophetam admonet, non Apostoli, non Euangelistæ ministerio vtitur; sed stellæ illis signum quo ducerentur, ostendit: quippe in huiusmodi doctrinis atque artibus periti erant, faciliusq; vernaculo signo admoniti sunt.*

Ita & olim Philisthęos per augures seu vates Deus instruxerat, vt idem Chrysostomus animaduertit: Πάλιν ἐπὶ τῶν βοῶν, ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ, ἐὰν πορευθῶσί, φησι, τήν δὲ τὴν ὁδὸν, ἀληθής ἐστιν ἡ τοῦ Θεοῦ ἀγανάκτησις, καθάπερ οἱ μάντεις; ἄπαγε, ἀλλ' ἀπὸ τῶν οἰκείων στομάτων αὐτοὺς ἐλέγχει καὶ καταπλήτει. *Rursus cùm arcam Dei remittendi consilium inirēt, Si hanc, inquiunt, semitam vaccæ perrexerint, vera est Dei indignatio, quemadmodum suggesserant vates. Num verò vates vera prosequuntur? Absit. Sed Deus eos suo ore corripuit atq; redarguit.* Chrysost. ibid.

Vnde rectè asseruit Hieronymus, dum Paulus *sæcularem* versum assumpsit, fecisse *Ecclesiasticum.* Quod ante eum notauerat Origenes, qui nec Sacris litteris statim fidem adhibendam monet, si quando à diabolo vel hæretico proferantur; nec fidem abrogandam Gentilium scitis, si quando ea vir doctus, vir sanctus in medium proferat. ita enim fieri, vt quæ antè profana erant, iam Hier. ep. 8.

Orig. Homil. 31. in Luc.

sancta euadant: *Si quando*, inquit, *testimonium de Scripturâ audieris, vide ne statim loquenti acquiescas, sed considera illum cuius sit, ac cuius sententiæ, cuius sit voluntatis: ne fortè simulet sanctum se esse quod non est, & venenis infectus hæreseωs, sub ouis pelle lupus latitet, ne fortè loquatur in eo diabolus de Scripturis. Quomodo autẽ diabolus per occasionem temporum de Scripturis loquitur; sic è cõtrario Paulus pro vtilitate eorum qui audiũt, non solùm de Scripturis, sed etiam de sæcularibus libris assumit testimonium, & ait: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, vẽtres pigri. Et rursum de alio: Ipsius enim & genus sumus. Nec nõ & de Comico: Corrumpũt bonos mores colloquia mala. Sed neq; diabolus, si de Scripturis locutus fuerit, poterit me hac occasione decipere: neque Paulus si de Gentilibus litteris aliquod exemplum sumpserit, quoquo modo me eloquio deterrebit. Ideò enim assumpsit Paulus verba etiam de his quæ foris sunt, vt sanctificet ea.*

Tit. 1.

Act. 17.

1. Cor. 15.

Ita videlicet sapientia sæcularis, captiuæ instar mulieris, dum raditur caput, idololatriæ capillitium demitur; dum præciduntur supercilia, superbiæ deputantur vibrissę; dum corpus depilatur, vanitatis velluntur radices; dum exungulantur digiti, errore liberatur. Quid iam vetat de ancillâ heram, de seruâ dominam, de captiuâ liberam, de alienigenâ

Deut. 21.

Israë-

Israëlitidem, Christianorum iungere coniugio, & mixtos purissimo corpori vernaculos, ex eâ Domino Sabaoth generare? Iste nimirum *labor*, ait Hieronymus, *in familiâ Christi proficit, stuprum in alienam auget numerum conseruorum. Osee accipit vxorem fornicariam Gomer, filiam Debelaim: & nascitur ei de genitrice filius Iezrahel, qui vocatur Semen Dei. Isaias nouaculâ acutâ barbam & crura radit peccantium. Et Ezechiel in typo fornicantis Ierusalem tondet cæsariem suam; vt quidquid in eâ absque sensu & vitâ est, auferatur.* Hieron. epist. 84. Oseæ 1. Isaiæ 7. Ezech. 5.

Sed caue tu, quisquis es Criticus, quisquis litteraturæ nimis es amans sæcularis, ne Agar Saræ præferatur; ne ancillæ delinitus illecebris, heram ipsam asperneris: sed ita cum Agar congredere, vt Sara semper potior habeatur; ita profanâ disciplinâ vtaris, vt ancillæ obsequio; ita sacrâ Scripturâ delecteris, vt iucundo dominæ consortio.

CASAVBONVS. Quod autem ait Eusebius, τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν, *pleroſque mortalium reijcere testimonia Sibyllarum in causâ fidei*; non de Paganis solùm accipi debet, sed etiam de Christianis viris eruditis & iudicij limatioris, quibus de fraude subolebat. Veriſſimè B. Augustinus, de ciuitate Dei, lib. XVIII. cap. XLVII. *Quæcumque aliorum Prophetiæ de Dei per Christum Iesum gratiâ*

gratiâ proferuntur, possunt putari à Christianis esse conficta. Ideò nihil est firmius ad cõuincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosq; fulciendos, si rectè sapuerint, quàm vt diuina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Iudæorum scripta sunt codicibus. Addit prudentissimè: Iudęos propter hoc testimonium de sedibus suis auulsos toto orbe fuisse dispersos. Scio Origenem contra Celsum, qui hoc nomine Christianos acriter sugillabat, ad vetusta exemplaria prouocare, in quibus inueniantur. Neque nos sanè negamus multa diuinitus potuisse dici à Paganorum vatibus, non minùs quàm ab asinâ Balaami: illa tantùm reiicimus, quæ arcana religionis nostræ apertiùs explicant, quàm factum sit vmquam à Dei Prophetis. Scimus alioquin Augustini illo ipso loco verba esse hæc: *Non incongruè creditur, fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium reuelatum est,* (nempe in genere & obscurè) *& qui hoc etiam prædicere impulsi sunt.*

ROSVVEYDVS. Duo hîc peccas, Casaubone, & rursus in Talionis legem incurris, vel à CRASSA IGNORANTIA, vel à FRAVDIS SVSPICIONE non immunis.

Primò, Locus ille Augustini non capitur de Christianis viris eruditis & iudicij limatioris, nec de ipso Augustino, quasi ipse cum viris

viris eruditioribus de fide carminum Sibyllinorum dubitauerit, sed capitur partim de Paganis & Iudæis vox hæc, *quoslibet alienos*, partim de Christianis infirmioribus & iudicij minùs limati, quos ideò ait *fulciendos*. Augustinum non dubitasse de fide oraculorum Sibyllinorũ ipse fidem facit, lib. XVIII. de Ciuitate Dei, cap. XXIII. Ait enim: *Hæc sanè Erythræa Sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit*; quæ toto hoc ipso capite prosequitur. Vult igitur Augustinus cùm agendum est cum Iudęis & Ethnicis nullum certius testimonium adduci posse, quàm ex ipsis Iudęorum scriptis. Ipsi enim cùm Christianorum hostes sint, & scripturas suas admittant, in quibus tam præclara de Christianitate exstent testimonia, nihil solidiùs contra eos adduci potest, quàm vt suis, quæ nobis porrigunt, armis expugnentur. Σεμνὴ γὰρ ἡ ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία. *Graue testimonium quod ab hostibus sumitur*, ait Isidorus Peluſiota. Clarè ipse Augustinus eodẽ lib. XVIII. cap. XLVI. *Quandoquidem vbique non desunt* (Iudæi) *& per scripturas suas testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse de Christo: quas plurimi eorum considerantes, & ante passionem, & maximè post eius resurrectionem, crediderunt in eum.* Et mox clariùs: *Proinde cùm scripturis nostris* (scilicet Sibyllarum

Aug. li. 18. de Ciuit. Dei, c. 23.

Isid. Pelus. l. 2. ep. 228.

Aug. l. eod. c. 46.

rum & similium) *non credunt* (Iudæi) *complentur in eis suæ, quas cæci legunt. Nisi fortè quis dixerit, illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, si quæ sunt, quæ non pertinent ad populum Iudæorum. Nobis quidem illæ sufficiunt, quæ de nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inuiti perhibent eosdem codices habendo atque seruando, per omnes Gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur.* Vnde recte Augustinus Iudæos *capsarios nostros* alibi vocat: *Modò, fratres, nobis seruiunt Iudæi, tamquam capsarij nostri sint, studentibus nobis codices portant.* Non igitur Sibyllis auctoritatem detrahit Augustinus, vel quiuis alius è vetustis Patribus; sed monet Augustinus certius testimonium aduocari, ad reuincendos Iudæos ex ipsorum libris, quos veros agnoscunt; ne si Sibyllarum vel aliorum, etsi non minùs vera proferantur vaticinia, ea causentur à Christianis esse conficta.

August. in Psal. 40.

Secundò, glossa illa verbis Augustini adscripta (nempe *in genere* & *obscurè*) est manifestè contra mentem Augustini: verba eius subiiciam: *Quapropter quisquis alienigena, id est, non ex Israël progenitus, nec ab illo populo in canonem Sacrarum litterarum receptus, legitur*

Aug. l. 18. c. 47. de in C. Dei.

gitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari potest: non quò necessarius sit, etiam si desit; sed quia non incongruè creditur fuisse & in aliis Gentibus homines, quibus hoc mysterium reuelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt, siue participes eiusdem gratiæ fuerint, siue expertes, sed per malos angelos docti sunt, quos etiam præsentem Christum, quem Iudæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos. Nihil hîc Augustinus exprimit, an *in genere*, an *obscurè*, an *in particulari & clarè* Gentilium vatibus aliquid fuerit reuelatum. Sed Augustini mentem esse etiam Gentilium vatibus *clarè* & *in particulari* aliquid reuelatum patet.

Primò, ex lib. eiusdem XVIII. cap. XXIII. de Ciu. Dei: *Hæc sanè Erythræa Sibylla quædam de Christo* MANIFESTA *conscripsit.* Qui eodem capite tam clara Sibyllarum de Christo vaticinia adfert, vt mirandum sit, te Augustini verbis ausum fuisse adscribere, *in genere & obscurè*: quasi Augustinus intelligat nihil Sibyllis & similibus vatibus reuelatum *clarè & in particulari*, cùm tamen ipse sole clariora testimonia adducat. Aug. ibid. c. 23.

Secundò, quia lib. eod. cap. XLVII. vbi ipsissima citata antè verba habet, quibus glossam appingis, inter Gentiliũ vates ponit Iobum, Aug. ibid. c. 47.

qui

Aug. ibid. c. 47. Ezech. 44. *qui*, ait, *diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam pietatémque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur.* Et tamen nónne idem manifestissimum de Christo, carnisque resurrectione, tulit testimonium, Iob 19. *Et in carne meâ videbo Deum meum.*

Cypr. Expos. Symb. Cyprianus: *Iob mysticis redundans totus eloquiis*, EVIDENTER *resurrectionem mortuorum prædicit.*

Aug. l. 22. de Ciuit. Dei. c. 29. Augustinus: *Illud quod ait Iob, In carne meâ videbo Dominum, resurrectionem carnis* SINE DVBIO *prophetauit.* Vnde & eum *eximium Prophetarum* vocat. *Similiter & Iob prædicat eximius Prophetarum: Et in carne meâ videbo Deum. Quod de illo tempore prophetauit, quando Christi Deitas habitu carnis nostræ induta est.*

Aug. Ser. 6. de Temp. Iob 19. Hier. ad Pammach. de errorib. Ioan. Ierosol. Hieronymus: *Et in nouissimo die de terrâ resurrecturus sum. Quid hac prophetiâ* MANIFESTIVS? *Nullus tam* APERTE *post Christum, quàm ipse ante Christum, de Resurrectione loquitur, imò nouit & vidit.*

Cassiodor. li. 1. diuin. lect. cap. 5. Cassiodorus: *Resurrectionem carnis sic prophetat, vt nullus de eâ vel* MANIFESTIVS, *vel cautiùs aliquid scripsisse videatur. Scio, ait, quòd Redemptor meus viuit.*

Vides nunc Casaubone, quàm temerè, quàm imperitè glossas D. Augustini scriptis adscribas, quasi ille tãtùm *in genere* & *obscu-*

rè

rè velit Gentilibus Christi notitiam proditam, cùm ipse asserat, Sibyllam Erythræam quædam de Christo *manifesta* conscripsisse; cùm Iobum appellet *eximium Prophetarum*; cùm Patres Iobum asserant *euidenter*, *manifestè*, *apertè* prophetasse: vt tutiùs posthac Ethnicis scriptoribus, quàm sanctis Patribus glossas sis adscripturus.

TABVLA XII.

Insigne Casauboni flagitium, vitiosas vel mendaces membranas citantis, ad perfidiam inurendam Personio. Eadgari Anglorum Regis in populum amor, in Clerum pietas. Eiusdem pœnitentia illustris, & in Episcopum obseruantia. Item alterius Comitis. Non conuocatum in Angliâ Concilium sine Pontificis & Episcopi auctoritate.

CASAVBONVS. Adgarum Regem, qui circa annum Christi CMLIX. habenas regni suscepit, celebrant historiæ Anglicanæ, non solùm vt Principem pium, sed etiam de conseruandâ pietate sollicitum. Is Rex, in oratione quadam ad Ecclesiarum & monasteriorum Patres, hæc verba inter cetera habuit: *Sed & meæ sollicitudinis est, Ecclesia-* *Epist. Dedic. ad Regem.*

rum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & necessaria procurare, & paci eorum & quieti consulere, de quorum omnium moribus spectat ad nos examen vt referunt Albertus Rievvalensis, in epistolâ *ad illustrem Normannorum Ducem, postmodò Regem*; & Gulielmus Rishanger in Chronico: nam Personius Iesuita, cùm (da veniam obiter hoc notanti) *nos* mutauit in *vos*, magna ea perfidia fuit, & cõscelerati in suos Principes odij certum argumentum: *nos* enim habent omnes antiquæ membranæ, quas probitate & doctrinâ vir insignis Robertus Cotton mihi nuper ostendit.

ROSVVEYDVS. Vt & hîc par pari Personius referat, quia importunus calumniator Regiam Maiestatem tuam interpellat, non refugiet Personius Regiæ tuæ Maiestatis iudicium, ex æquo, ex iure, ipso præeunte Eadgaro Rege, ad cuius exemplum Casaubonus Regiam tuam Maiestatem inuitat. Et sanè, si Regnum nunc Eadgaros, si Cantuaria Dunstanos dederit, non erit vt Anglia fidem à Gebennâ, non vt à Casaubono subsidium petat. Romam, Romam ibit quisquis de fide dubitat, à Pontifice flagitabit auxilium, à Pontifice Ecclesiasticis innodatus censuris solui, ab eodem Ecclesiæ priuilegia firmari petet. Non ibo nunc ad Lucium, qui

vel

vel primam vel præcipuam Angliæ lucem intulit, Romano prælucente Pontifice Eleutherio: non Eadgaro maiorem, non eo posteriorem ætatem percensebo: in vno manebo Eadgaro, quoniam eius exemplum ab aduersario proponitur.

Exstat eius oratio in cœtu Cleri habita apud Ealredum seu Alredum Rhieuallensem, Cistercienſium Monachorum in Rhieualle Eboracensis diœcesis Abbatem; qui genere, doctrinâ, & inculpatæ vitæ moribus præclarus, Principum sedandis motibus industrius, omniqúe scribendi genere D. Bernardo simillimus fuit. Scripsit Alredus librum de Regibus Angliæ, quem nondum vidi luci datum. Eum ms. habuit Robertus noster Personius, & ex eo partem huius Orationis contra Edvvardum Coquum, Regium aduocatum, deprompsit. Tota exstat apud Matthæum Parkerum de Origine Britannicæ Ecclesiæ. Qui quidem peruersæ mentis hæreticus, etsi eam deprauare studuerit, non obtinuit tamen, quin posteriora suo candore lucentia prioribus ab eo obnubilatis lucem inferant. Accedit Anglicana historia Ioannis Stovv Anglicè scripta, & cum priuilegio Regiæ Maiestatis Londini edita, anno MDCI. apud Radulphum Nevvbery, qui sincerum Alredi ms. exem-

De eo Bal. cent. 2. Script. Brit.

Matth. Parker. de orig. Brit. Eccl.

Histor. Angl. Ioã. Stovv.

plar nactus & secutus, sinceram quoque Anglis eam orationem dedit. Nupero Franco Andreæ du Chesne in Gallicâ suâ Angliæ historiâ hoc anno M. DC. XIV. editâ, corruptum Parkeri exemplar imposuit.

Hist. Angl. Andr. du Chesne.

Quid igitur ille magnificus, ille pacificus Rex Eadgarus de iure Regni, de iure Ecclesiæ? eum in Episcoporum Cleriúque conuentu perorantem audiamus:

Oratio Eadgari Regis apud Alredum Rhieuall. de Regibus Angliæ. obiit anno 1166.

Quoniam magnificauit misericordiam suam Dominus facere nobiscum, dignum est, ô Patres Reuerendiss. vt innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, & brachium nostrum non seruauit nos; sed dextera eius, & brachium sanctum eius, quoniam complacuit illi in nobis. Iustum proinde est, vt qui omnia subiecit sub pedibus nostris, subiiciamus illi & nos & animas nostras: & vt hi quos nobis subdidit, eius subdantur legibus, non segniter elaboremus.

Psal. 45.

Et MEA *quidem interest, laicos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.*

Psal 34.

Sed & MEÆ *sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum*

num & necessaria eorum procurare, & saluti & quieti vel paci consulere.

De quorum omnium moribus ad VOS *spectat examen: si vixerint continenter, si honestè se habeant ad eos qui foris sunt; si diuinis officiis solliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrij, si habitu moderati, si in iudiciis sint discreti. Pace vestrâ loquor, Reuerendi Patres, si ista solerti scrutinio* CVRASSETIS, *non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de Clericis peruenissent. Taceo, quòd non est illis corona patens, nec tonsura conueniens: at in veste lasciuia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis produnt insaniam. Prætereà in diuinis officiis quanta sit negligentia, cùm sacris vigiliis vix interesse dignentur; cùm ad sacra Missarum solemnia, ad ludendum, subridendum, magis quàm ad psallendum, congregari videantur.* Malè NOS apud Parker. 1. Thess. 4.

Dicam, quod boni lugent, mali rident: dicam dolens (si tamen dici potest) quomodo diffluant in comessationibus, in ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis: vt iam domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad medium noctis spatium protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic patrimonia Regum, eleëmosynæ pauperum, imò (quod magis est) illius pretiosi sanguinis pre-

tium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos ? ad hoc fiscus Regius, detractis reditibus multis, elargitus est? ad hoc Ecclesiis Christi agros & possessiones Regalis munificentia contulit, vt delicius Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes ac aues, & talia ludicra comparentur ? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant; & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis?

Gen.34. *Vbi gladius Leui, & zelus Simeonis, qui vt scorto abutentes filiâ Iacob, Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circumcisos succide-*

Exod.32. *runt? Vbi spiritus Moysi, qui caput vituli ado-*

rantibus etiam domesticis sui sanguinis non

Num.25. *pepercit? vbi pugio Phineës sacerdotis, qui fornicantem cum Madianitâ confodiens, sanctâ hac æmulatione Deum placauit iratum ? vbi*

Act.5. *spiritus Petri, cuius virtute perimitur auaritia, hæresis Simoniaca condemnatur?*

Aemulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini & iustitias Dei nostri. Tempus insurgendi contra eos, qui dissiparunt legem Dei. EGO *Constantini*, VOS *Petri gladium habetis in manibus. Iungamus dextras, gladium gladio*

Num.5. *copulemus, vt eiciantur extra castra leprosi, vt purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in tẽplo filij Leui, qui dixit patri & matri,*

tri, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro vos. Deut. 33.
Agite quæso sollicitè, ne pœniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse, quod dedimus; si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunitâ libertate consumi. Moueant vos Sanctorum reliquiæ, in quibus insultant: veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moueat vos antecessorum nostrorum mira deuotio, quorum eleëmosynis vesania Clericalis abutitur.

Proauus meus Ethelwulphus (vt scitis) omnem terram suam Ecclesiis & Monasteriis decimauit. Sanctæ memoriæ atauus meus Alfredus vt Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putauit. Auus meus senior Edwardus quanta contulerit Ecclesiis, Paternitatem vestram non latet. Pater meus & frater, quibus donariis Christi altaria cumulauerint, meminisse vos decet. malè Edwardus apud Parker.

O Pater Patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos, ab illâ lucidâ cæli plagâ in te radiantes. Audi querulas eius voces cum quadam pietate in tuis auribus resonãtes. Apostrophe per Prosopopœiã Edmundi Regis, patris Eadgari, ad Dunstanum.

» *Tu mihi Pater Dunstane, tu mihi de con-*
» *structendis Monasteriis, de Ecclesiis ædificandis*
» *consilium salubre dedisti. Tu mihi adiutor in*
» *omnibus & cooperator extitisti. Te quasi Pa-*
» *storem, Patrem & Episcopum animæ meæ, mo-*

rumq; meorum custodem elegi. Quando tibi « non parui? Quos vmquam thesauros tuis con- « siliis prætuli? Quas possessiones te præcipiente « non spreui? Si quid pauperibus erogandum exi- « stimabas, præstò fui. Si quid conferendum Ec- « clesiis iudicabas, non distuli. Si quid Monachis « Clericísve deesse querebaris, suppleui. Aeter- « nam dicebas eleëmosynam esse, nec aliam fru- « ctuosiorem, quàm quod Monasteriis Ecclesiís- « ve confertur, quo Dei serui sustententur, & « quod supersit, pauperibus erogetur. «

O pretiosam eleëmosynam, & dignum ani- « mæ pretium! O peccatis nostris salubre reme- « dium! quod à sinu *Sibyllæ in peregrini muris « pelliculâ fœtet, quod eius auriculas ornat, quod « componit digitulos, quod corpus delicatum in « byssostringit & purpurâ. Ecce, Pater, eleëmosy- « narum fructus mearum, & tuæ permissionis « effectus. «

*id est, pellicis clericorum

Quid huic querimoniæ respondebis? Scio,
Psal.49. scio, cùm videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas.
2. Tim.4. Arguisti, obsecrasti, atque increpasti. Contempta verba sunt, veniendum est ad verbera, & non deerit tibi potestas Regia. Habes hîc tecum Venerabilem Patrem Ethelwaldum VVintoniensem Episcopum: habes Reuerendum Præsulem VVigornienſem Oswaldum. Vobis istud committo negotium, vt ex Episcopali censurâ

&

& Regiâ auctoritate turpiter viuentes de Ecclesiis eyciantur, & ordinatè viuentes introducantur.

O præclaram Regis orationem! ô aureis litteris dignas sententias! ô rediuiuum Constantini in Eadgaro animum! Quis hæc legens, non statim intelligit, Eadgarum Regem boni Regis, boni Principis functum officio? qui cùm Constantini gladium sibi meritissimò vindicaret, suum tamen Petro reliquit, suum Ecclesiæ non abstulit. Tantùm Episcopos monuit, ne sinerẽt putrida membra inualescere, Petri truncanda gladio: *De quorum omnium moribus ad* VOS *spectat examen.* Et erit nunc aliquis tam obtusè hebes, cui vel in mentem venire possit, Personium mutasse NOS in VOS? Vel oculi lippierunt Casaubono, cùm Cottoni membranas illas inspexit; vel vitiosæ fuerint & mendaces eæ membranæ; vel insignem fraudem commentus est, vt Personio, Societatiq̃e nostræ innoxiæ (quod passim suis in Exercitationibus conatur) apud Regiam tuam Maiestatem conflaret inuidiam.

Sed non cedet, non credet aduersarius, vel Personio sincerè è suis membranis Ecclesiæ Regniq̃e munia in Anglicam linguam vertenti, vel mihi eas Latinè repræsentanti. Quare ipsam orationem æquo

iudicij libramine expendamus, & quà Regis, quà Episcoporum spectat officium, suis quamq; partem lancibus assignemus. Quomodo igitur Rex suum Episcoporumque officium partiri aggreditur?

MEA *quidem interest, laicos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.*

Rectè hactenus, rectè, quod Regis Christiani erga subditos, quod iusti Legislatoris erga laicos, quod incorrupti iudicis erga reos sit officium, est executus. Sed nullúmne Regis officium erga Clericos, nulláne eum Ecclesiarum tangit sollicitudo? Pergit ipse:

Sed & MEÆ *sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & necessaria eorum procurare, & saluti, & quieti, vel paci consulere.*

Nec in hoc vacillat Regis auctoritas, egregium Regiæ munificentiæ specimen præbet. Sed vbi nunc Ecclesiarum ministri, quales erant Eadgaro Rege? vbi greges Monachorum? vbi Virginum chori? Exulat iam Angliâ illa Dominica portio; reducenda, cùm Deo Regique visum. Quid porrò in Sacerdotum conuentu Rex? Cùm suas sibi

partes

partes,ad Cleri,ad Monachorum,ad Virginum ſuſtentationem,pacem,quietem, ſumpſit; nullâſne Epiſcopis eorumdem intuitu aſſignauit?Eum audiamus:

De quorum omnium moribus ad vos *ſpectat examen: ſi vixerint continenter, ſi honeſtè ſe habeant ad eos qui foris ſunt, ſi diuinis officijs ſolliciti, ſi ad docendum populum adſidui, ſi victu ſobrij, ſi habitu moderati, ſi in iudicijs ſint diſcreti.*

Quis non hîc æquam iudicij libram adhibens,diuerſa Regis, diuerſa Epiſcoporum munia perpendit? adeò, vt quia Epiſcopi non ſatis magnam de Sacerdotum moribus curam ſuſceperant, addat ipſe Rex:

Pace veſtrâ loquor, Reuerendi Patres, ſi iſta ſolerti ſcrutinio CVRASSETIS, *non tam horrenda & abominanda ad aures noſtras de Clericis peruenirent.*

Si Epiſcoporum fuit, ſolerti ſcrutinio curare de miniſtrorum Eccleſiæ continentiâ, de morum honeſtate, de ſolicitudine in diuinis officijs, de populi inſtructione, de victus ſobrietate, de habitus moderatione, de iudicij prudentiâ; non rectè antè dixit, *De quorũ omnium moribus ad* vos *ſpectat examen?*

Nec hîc ſiſtam (quia contumacem aduerſarium video) ſed ab Angliâ ipsâ pro Romanæ vrbis doctrinâ, ab ipſo Eccleſiæ hoſte

pro

pro Ecclesiæ filio, ab Anglo hæretico pro Anglo Catholico fidem accersam. Ipsa igitur Anglia suâ linguâ loquatur, suo idiomate loquentem Regem Casaubonus audiat Eadgarum. Non dissonare Anglicè, quos Latinè de Regis, de Episcoporum munere quatuor dedi paragraphos, clarè percipiet.

Ioã. Stovv in hist. Angliæ.

And truely it is MY *part, to ruele the laitie vvith the lavve of equitie, to doe iust iudgement betvvixt man and his neigbours, to punish Church robbers, to represse rebles, to deliver the vveake from the handes of his stronger, the poore and needie from them that spoile them.*

And it also belongeth to MY *care, to haue consideration to the health, quietnesse or peace of the ministers of the Church, the flocke of Monkes, the companies of Virgines, and to prouide the thinges needeful for them.*

The examining of vvhose manners belongeth vnto YOV, *if they liue chastly, if they behaue themselues honestly tovvardes them vvhich be abroad, if in diuine seruice they be carefull, if in teaching the people diligent, if in foeding sober, if moderate in apparell, if in iudgement they be discrete.*

If ye had CVRED *these thinges by prudent scrutine (by your licence I speake, o Reuerend Fathers) such horrible and abhominable thinges of the Clearkes had not come to our eares.*

Nihil nunc addo, cùm ipsam Angliam Perso-

Persionio causſam adiudicantem habeamus. Quòd Personius ex sinceris membranis Latinis Anglicè dedit, dederat quoque annis aliquot antè ex sinceris non minùs membranis Anglus Historicus: vt nullius in Regem perfidiæ reus agi possit Personius; sed atrocis in Personium calumniæ apud posteros traducendus sit reus Casaubonus.

Nec vlla suspicio esse potest, Eadgarum Regem, qui Constantini sibi gladium depoposcit, aliâ eum mente, aliâ manu vibrasse, quàm Constantinus olim vibrauerat. Conuocauerat ipse ex sententiâ Sacerdotum apud vrbem Niceam Episcopale Concilium, vbi cùm de Arij fide & impiis assertionibus agendum esset, plerique Episcopi diuersis ex causſis iurgia, de moribus culpas, de actibus querimonias proferebant. Quid tum Constantinus? illéne sibi iudicium etiam sponte oblatum sumpsit? Eum audiamus: *Deus* VOS *constituit Sacerdotes, & potestatem* VOBIS *dedit de* NOBIS *quoque iudicandi, & ideò* NOS *à* VOBIS *rectè iudicamur.* VOS *autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter* VOS *exspectate iudicium, & vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen.* VOS *etenim* NOBIS *à Deo dati estis* DII, *& conueniens non est, vt* HOMO *iudicet* DEOS, *sed ille solus, de quo scriptum est:* Ruffin. lib. 10. c. 2.

Psal. 81. *est: Deus stetit in synagogâ deorum, in medio autem deos discernit. Et ideò his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque vllâ animorum contentione distinguite. Cùm hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simultatio sacerdotum.* Non hîc Constantinus de moribus", non de fide sibi iudicium sumpsit, sed vtrumque Episcoporum iudicio reseruauit. Vbi nunc estis Roberti Cottoni membranæ, situ quidem rancidæ, sed vetustate nobiles? nullus tibi ms. Ruffinus visus, vbi VOS mutetur in NOS? Si Eadgari membrana corrupta, (quamquam culpam potiùs lemosis oculis, aut fraudem menti delego) vel ab incorrupto Ruffini codice veritatem disce. In Eadgaro Constantinum, in Constantino Eadgarum recognosce.

Accede & tu mea Batauia, Domini olim portio, Romæ fœderata; nunc sub Arminio, nunc sub Gommaro, nunc sub Vorstio in partes miserè distracta. Ego te olim adolescens religione florentem, ardentem pietate vidi, quam à VVilibrordo, quam ab Adalberto, Romanæ fidei præconibus, hauseras: lucebant templis altaria, Imagines altaribus renitebant. Tota ad meam vsque ætatem, ab inde fidei tuæ primordiis Romanâ splendebas fide, depositum seruabas Romanum.

num. Roma tibi assignabat Episcopos, Roma fidei normam mittebat; Roma de fide, de Clericorum moribus Roma iudicabat. Et quis te tãto pòst tempore docuit in aliam migrare fidem, in mores abire alienos? Ergóne nunc fidem ab Angliâ, à Casaubono addisces fidem? Equidem hoc ipso die, quo folium hoc prælo submittitur, Ordinum decretum accipio, ita minimè fidis glossis deformatum, vt mendaces hîc etiam Cottoni membranæ, à Casaubono mendaciter contra Personium productæ compareant, pro Iouis diphtherâ ventilentur: vt Eadgarus Anglorum Rex, iam non Catholicus, non Romanus; sed hæreticus, sed Batauicus producatur. O infelicem decreti glossatorem, qui aperta non nouit vitare mendacia! Quin tu potiùs, mea Batauia, ipsi Eadgaro loquenti adhibes fidem, ipsum pro se testimonium dicentem exaudis? Dedi orationem eius ex fide, etiam hoste testante; illam lege, illam relege; & maiorum tuorum de Virginum choris, de Monachorum gregibus, de Cleri examine fidẽ apud eum leges.

Vidimus Eadgarum Regem Cleri mores, vt ad Ecclesiasticas formarentur regulas, Sacerdotum reseruasse iudicio, non sibi eorum correctionem, vti laicorum, arrogasse. Sed quid si Rex ipse sacrosancta Ecclesiæ sepra

transcen-

transcendat? quid si canonum Ecclesiasticorum iura violet? quis hîc remedium adhibebit? Non alium hîc controuersiæ arbitrum, non alium iudicem dabo præter Eadgarum Regem. Narrat Osbertus in vitâ S. Dunstani, Eadgarum Regem Elfledę Candidæ illigatum coniugio, cùm in monasterium Virginũ VViltoniæ aduenisset, ibique oculos temerè in puellam & genere & decore nobilem, quæ ibi exors voti nutriebatur, coniecisset, exarsisse in eius amorem. Quod illa animaduertens, rapit à sanctimoniali velum, capiti imponit, & seipsam quasi Deo consecratam ceteris iungit Deo sacratis virginibus. Rex non ignarus puellaris industriæ, magis exarsit, & velo detracto virginem violat. Ingemuit tota Anglia Regis adulterio, nec erat qui Regem ad legem reuocaret. *Vbi verò res* (prosequitur Osbertus) *Dunstano innotuit, acerbo mœrore percussus est. Igitur cùm in re non segnis ad Regem veniret, & illo venienti pro more occurreret, eumq; per manum ad solium suum perducere vellet, manum Dunstanus turbato vultu retraxit, nec eam ab homine contingi passus est. Ad quod ille attonitus (non enim illum scire putabat, quod clanculò à se factum existimabat) cur manum sibi non dimitteret inquisiuit. Ait: Tu postposito omni pudore, adulterium commisisti: tu*

Osbertus in vitâ sancti Dunstani, 19. Maij.

Osbertus vbi suprà.

tu despecto Deo, signum castitatis non veritus, virgini suam integritatem præripuisti: & cur manum, summo Patri Virginis filium immolantem, impuris manibus non tradam, quæris? Laua priùs per pœnitentiam manus tuas à sordibus suis: & tunc demum, quò gratiæ Dei reconcilieris, honora & amplectere manum Pontificis. Territus ille ad hæc, terræ procumbit, pedes Antistitis petit, se peccasse, gemitu verba interrumpente, contestans. Quod Dunstanus videns, tantum in Rege humilitatis exemplum vehementer amplectitur. Velociùs ergo illum erexit, & pacato vultu cum eo familiariter, quæ salutem animæ eius operarentur, loquens, septennem ei pœnitentiam iniunxit. At ille Pontificali absolutione potitus, omni studio iniunctæ sibi pœnitentiæ operam dare, & multa quibus Deum placaret, pietatis opera ipsi pœnitentiæ, instinctu & consilio patris sui, sollicitus cœpit superaddere. Vides Eadgarum Regem seipsum Ecclesiastico subiecisse iudicio, vt dubitari non possit, quid de Cleri sui moribus fieri voluerit, an eorum sibi iudicium, an verò Ecclesię reseruarit. Quis nunc Regum vt Eadgarus peccans, pœniteat vt Eadgarus? & tamen si Dunstani Ecclesiasticæ libertatis assertores adsint, vt optandum est non esse peccantes Eadgaros; si tamen sint, & si Romani, si Catholici haberi voluerint,

rint, pœnitentem sequentur Eadgarum, ad Sacerdotis procident pedes, ab eo pœnam, ab eo veniam efflagitabunt.

Vt in Regem adulterum hæc Ecclesiæ viguit auctoritas, sic in alios etiam Regi, Legique ciuili subiectos, si quando Ecclesiæ violarent Canones, etiam Rege vel dissimulante vel repugnante. Incestuosus olim in Angliâ Comes, ipso Eadgaro Regni sceptra moderante, aliquoties à Dunstano redargutus, renuens incestum suum expiare diuortio, Ecclesiæ liminibus arcetur. Ille Regem adit, multa contra seueritatem Dunstani expostulans. Cui etsi Rex faueret, & recipi eum in Ecclesiam mandaret, non paruit Dunstanus, officij sui memor & retinens: quin Comiti grauiter increpito, sed contumaci, sed multa minanti, omnium fidelium communione interdixit. Quid multa? Comes, quod per Regem impetrare non poterat, à Romano quærit Pontifice. Nuntiant Legati benignam Pontificis erga Comitem mentem, referuntque litteras, quibus Dunstanum Pontifex, vt eum Ecclesiæ gremio restitueret, & hortabatur & imperabat. Dunstanus probè sciens subreptitias has litteras esse, non ritè Romæ declarato incestuoso coniugio, perstat in sententiâ, donec Comes mentis suę obstinationem deposuit:

posuit: *Dunstano itaque* (ait Osbertus in vitâ Dunstani) *generale totius regni Concilium de obseruantiâ Christianitatis celebrante, ipse Comes suimet oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, Concilio sese medio ingessit, & ante pedes Dunstani gemebundus & eiulans corruit.* Osbertus in vitâ sancti Dunstani, 19. Maij. Viden' vt morum correptio, Eadgaro regnante, Ecclesiasticæ erat potestatis?

Habemus Eadgarum Regem disertis verbis morum curam Sacerdotibus assignantem: habemus eum ob delicta in legem Dei, ob commissa in Ecclesiasticos Canones, ad Sacerdotis pedes supplicem: habemus non impari pietate reum sceleris Comitem iugum Ecclesiæ subijsse: & quisquam de Ecclesiæ Anglicanæ statu Rege Eadgaro dubitabit, quasi morum cura non ad Sacerdotes, sed ad Regem pertinuerit? Quasi non iam olim Valentinianus Senior legem pro Ecclesiasticâ libertate, seu fidei res, seu morum ageretur, tulerit; quam Ambrosius vocatus ad iudicium sæculare, Valentiniano Iuniori in memoriam reuocabat. *Nec quisquam contumacem iudicare me debet, cùm hoc asseram quod augustæ memoriæ pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in caussâ fidei vel Ecclesiastici alicuius Ordinis eum iudicare debere, qui nec muneri im-* Ambros. li. 5. ep. 32.

par sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quinetiam si alius quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda caussa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere.

CASAVBONVS. Extat etiam Synodus Prouincialis, Regis eiusdem iussu coacta, quam Dunstanus celeberrimæ tunc famæ Episcopus describens, Adgarum in procœmio dilaudat, *vt regali officio in eâ re functum, veluti pastorum pastorem.*

ROSVVEYDVS. Fuerit sanè Regis iussu coacta Synodus, sed non sine Pontificis auctoritate, non sine instinctu Dunstani Antistitis, qui Regem ad omnia Religionis Christianæ formabat officia. Non exteros, non Romanos hîc testes dabo; ipsa loquetur Anglia, sibi ipsa testimonium dicet. Matthæus VVestmonasterienſis: *Celebratur hoc item anno à S. Dunstano Cantuarienſi Archiepiſcopo, auctoritate Ioannis Romani Pontificis generale Concilium aduersus incõtinentiam Clericorum.* Senatus Brauonius in Actis S. Osvvaldi Episc. VVigornienſis: *Per idem tempus auctoritate Ioannis Papæ, Dunstanus Archiep. coacto generali Concilio, statuit & decreto firmauit, vt Canonici omnes, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, aut castè viuerent, aut Eccle-*

Matth. Westmonast. Flor. hist. anno 970.

Senat. Brauon. in vitâ S. Osvvaldi, 15. Oct.

Ecclesias quas tenebant, dimitterent. Nullane igitur hîc Regis interceſſit auctoritas? Interceſſit ſanè: ſed vt ADIVTORIS, vt DEFENSORIS. Proſequuntur eadem Oſvvaldi Acta: *Habebat autem Regem Adgarum hac in re fidelem* ADIVTOREM *& egregium* DEFENSOREM.

Atque eâ mente olim Valentinianus III. epiſtola ad Theodoſium Imperatorem de fide perturbatâ, à Romano Epiſcopo & aliis rogatus, ſcripſit: Ἣν ἡμεῖς ἀπὸ τῶν προγόνων παραδεδεῖσαν, ὀφείλομεν μετὰ προσηκούσης καρδιώσεως ἐκδικεῖν. *Quam nos à noſtris maioribus traditam debemus cum debitâ veneratione* DEFENDERE. Valent. 3. epiſt. ad Theod. Imp.

Nec aliâ mente Carolus Magnus ſuam fidem Leoni Pontifici iureiurando obſtrinxit, ſe PROTECTOREM, ac DEFENSOREM *fore ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Glorioſum quoque ſibi duxit ſeruis Dei operam ſuam impendere: *Si Eccleſiarum Dei ſeruis magnificentiam noſtram impertimur, eorúmque ſtudiis libenter obſequimur, id nobis ad auguſtioris excellentiæ culmen proficere credimus.* Sigon. lib. 4. de Regn. Ital. Ibidem.

Nec alius ſenſus piorum Imperatorum, cùm Concilia vel indixêre ipſi Pontificis vel Epiſcoporum rogatu, vel ab aliis indicta celebrari permiſerunt. Valentinianus Senior Imperator, importunè ſollicitatus vt per-

mitteret haberi Concilium, in quo de fidei controuersiis ageretur, respondit: Ἐμοὶ μὲν μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ, οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν. οἱ δὲ ἱερεῖς, οἷς τοῦτο μέλλει, καθ' ἑαυτοὺς ὅπη βούλονται συνίτωσαν. *Mihi, qui vnus è numero laicorum sum, non licet eiusmodi negotiis me interponere. Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, vbicumque ipsis liberum fuerit, conueniant.*

Sozom. Hist. lib. 6. c. 7.

Eodem sensu & affectu Theodosius & Valentinianus in Epist. ad Synodum Ephesinam: Ἐντέταλται τοίνυν Κανδιδιανὸς, ὁ μεγαλοπρεπέστατος Κόμης τῶν καθωσιωμένων δομεστίκων, ἄχρι τῆς ἁγίας ὑμῶν διαβῆναι Συνόδου· καὶ μηδὲν μὲν τῶν περὶ τῶν δογμάτων γινομένοις ζητήσεσιν, κοινωνῆσαι· ἀθέμιτον γὰρ τὸν * μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων Ἐπισκόπων τυγχάνοντα, τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι *Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus; sed eâ lege & conditione, vt cum quæstionibus & controuersiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.*

Concil. Ephes. parte 1. ep. Impp. ad S. Synodum.

* ἔξω τοῦ

Basilius Imperator in Oratione, quam habuit in octauâ Synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ Constantinopoli celebrata

Octaua Synod. Act. 10.

brata est, in caussâ Photij Patriarchæ: Λαϊκῷ δὲ οἱῳδήποτε κατ' οὐδένα τρόπον ἐξεῖναι λέγω περὶ Ἐκκλησιαστικῶν ὑποθέσεων λόγον ἀνακινεῖν, ἢ ἀνθίστασθαι ὁλοκλήρῳ Ἐκκλησίᾳ ἢ οἰκουμενικῇ Συνόδῳ. Ταῦτα γὰρ ἀνιχνεύειν τε καὶ ζητεῖν Πατριαρχῶν ἔργον ἐστὶ, καὶ ἱερέων καὶ διδασκάλων, οἷς τὸ λύειν τε καὶ δεσμεῖν δέδοται ἐκ Θεοῦ. ὁ γὰρ λαϊκὸς κἂν πάσης ἐστὶν εὐλαβείας, καὶ σοφίας, ἀλλὰ λαϊκὸς καὶ πρόβατον, οὐ ποιμήν. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς κἂν πᾶσαν ἐπιδείκνυται ἀνευλάβειαν, ἀλλὰ ποιμήν ἐστιν, ἔστ' ἂν ἐν ἀρχιερεῦσι τελῇ· καὶ οὐ χρὴ κατεξανίστασθαι τῶν ποιμένων τὰ πρόβατα. *Laico cuicumque nullâ ratione de Ecclesiasticis caussis disputandi, aut vniuersam Ecclesiam, Oecumenicamq; Synodum oppugnandi, fas esse dico. Hæc enim excutiendi, & in vtramque partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum & Doctorum est officium, quibus à Deo soluendi & ligandi potestas est concessa. Nam laicus etsi omni pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & ouis, non pastor. Episcopus autem, quamuis omni religionis virtute destitutus ostendatur; tamen pastor est, quamdiu in Pontificatus munere versatur: nec oportet vt oues pastori repugnent.*

Indixerat igitur Eadgarus Rex Concilium, sed more maiorum, Pontificum Anglicanorum rogatu, Romani Pontificis auctoritate: non cui ipse præsideret Rex Ead-

garus, vel qui de fide, de moribus leges conderet, sed quarum ferendarum auctoritatem Anglicanis permitteret Pontificibus.

Quin glorioſus Rex Eadgarus, adeò quoq; Romanam Sedem ſuſpexit, vt ab eâ quoque priuilegiorum monaſteriis à ſe conceſſorum robur accerſeret. Nam cùm Romæ à Ioanne Pontifice Synodus generalis haberetur, ad eum miſſi legati ab Eadgaro Anglorum Rege, & à Dunſtano Archiepiſcopo Dorouernenſi, vt ab eodem Ioanne Pontifice confirmarentur priuilegia conceſſa ab eodem Rege monaſterio B. Mariæ Glaſtingeberi: de quo iſta in VVilhelmo Malmeſburienſi: *Recogitans verò quàm multa temeritas humanæ leuitatis quibuſdam ſolet ſubrepere; verenſq́, ne fortè quis in poſterum vel hæc priuilegia loco illo auferre, vel monachos inde moliretur eiicere: inclyto Domino Ioanni Papæ, qui Octauiano in regimine honoris ſucceſſerat, direxit idem chirographum regiæ liberalitatis, orans, vt & ipſe hæc roboraret ſcripto Apoſtolicæ auctoritatis. Qui benignè directam ſuſcipiens legationem, concordi aſſenſu Romani Concilij ſancita ab iis firmauit, ſcribendo Apoſtolicæ auctoritatis præceptionem, terribiliter intorquens in violatores, ſi qui fortè emerſerint, perpetui anathematis vltionem.*

Wil. de geſt. Regũ Angl. lib. 2. c. 8.

Nullo

Nullo igitur modo vero est simile, eum Regem, qui sua priuilegia à Romano voluit firmari Pontifice, vllum in Ecclesiastica iura imperium vsurpasse. Non igitur Concilia indixit, nisi vt olim Constantinus *ex sententiâ* SACERDOTVM *apud vrbem Nicæam Episcopale concilium conuocauit:* non in Cleri mores sibi auctoritatem arrogauit; sed vt ij corrigerentur, vt Concilia legitimè celebrarentur, ADIVTOR & DEFENSOR fuit. Ideò eum PASTORIS PASTORVM, qui vt Pastores suo probè fungi possent officio allaborauit, non immeritò Dunstanus ornauit elogio; quem Dunstanum Edmundus Eadgari pater iam antè PASTOREM animæ suæ professus fuerat, vt in Eadgari oratione vidimus. Quantus, quantus verò Eadgarus Ecclesiæ defensor esset, Ecclesiæ tamen se filium meminerat, ad Ecclesiæ se regulas conformabat. *Quid honorificentius,* dicebat olim ad Valentinianum Iuniorem Ambrosius, *quàm vt Imperator dicatur filius Ecclesiæ? Imperator enim bonus, intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Et ipse Cassiodorus Præf. Præt. ad Ioannem Pontificem: *Sum quidem iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus.* Et vt in Angliæ Rege finiamus, Alfredus

Ruff. l. 10. c. 2.

Ambros. ep. 32. ad Valentinian. Iuniorem.

Cassiod. l. 11. ep. 2.

Asser. Menev. *germanam & genuinam esse Regis dignitatem dictitare solebat, si in Regno Christi, quæ est Ecclesia, se non Regem, sed ciuem agnosceret: si non supra Sacerdotum leges se elatè efferret, sed legibus Christi per Sacerdotes promulgatis, submisso se atque humili animo subderet.*

Iuuat hîc in memoriam tam benefici, tam munifici Regis Eadgari attexere Epitaphiũ, quod illi olim Henricus Huntindonienſis poſuit:

Auctor opum, vindex scelerum, largitor honorum,
Sceptriger EDGARVS *regna superna petit.*
Hic alter SALOMON, *legum pater, orbita pacis,*
Quòd caruit bellis, claruit ille magis.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit agros:
Nequitiæ lapsum, Iustitiæq; locum.
Nouit enim regno verum perquirere falso,
Immensum modico, perpetuumq; breui.

Atque hoc felici ornatus elogio, æternùm Deo viue, æternùm vale, EADGARE, Eccleſiæ cultor, legum norma, Regum decus.

Quòd niſi me, Rex magne, vnius Eadgari ætate, ad quam aduerſarius prouocauit, circumſcripſiſſem, vt maiorum tuorum ſenſus, quid de Romanâ Eccleſiâ, quid de Pontifice

tifice ſenſerint, manifeſtus euaderet; darem Kenredum Merciorum Regẽ quinto quoque anno ad Petri Pauliq́ue cineres ſupplicem: darem Burredum Merciorum quoque Regem, Romam velut ad aſylum cõfugientem: darem Canutum Regem Anglorum, Danorum, & Norvveganorum S. Petro Apoſtolorum Principi Romę ſupplicantem, ingerentem dona Regia, & vitam meliorem Apoſtolorum ſepulcro teſte deuouentem: darem Coënredum Merciorũ, Offam Cantuariorum Regem, ad Papę Sergij pedes Romæ attonſos, & cęleſte regnum terreno prę-ferentes: darem Cnutonem pro animæ ſuæ pretio, pro Regni ſalute, Apoſtolorum liminibus affuſum, vota ſoluentem; darem eum omne Romanum ſanctuarium venerantem & adorantem; darem eum Petro cæli clauigero ſupplicem. Nempe hoc ab omni æuo Catholico, Imperatoribus, Regibus in more fuit. *Nunc ad memoriam*, inquit Auguſtinus, *piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piſcatoris*. Darem Adeluulphum cum Alfredo filio, pòſt Rege, Romam properãtem, vt in Romanâ fide adoleſceret, & a Pontificis manu rediret ſacratior. Darem denique Ceaduallam Occidentalium Saxonum Regem, relictâ Angliâ Romam petere, ad limina

Guil. Malmeſb. in Kenr.
Roger. in Annal.
Idem ibid.
Beda l. 5. c. 20. hiſt. Angl.
Marcel. in vitâ S. Svvibert. c. 4.
Guil. Malmeſb. l. 2.
Auguſt. Serm. 28. dé Sanctis.
Roger.

Bed. lib. 5. c. 7. hist. Angl. Paul. Diacon. lib. 6. cap. 28. de gest. Long.

mina BB. Apostolorum supplicem accidere, concipere vota, vt statim à Baptismo Romæ è vitâ possit excedere; & votorum compotem factum, in Petri basilicâ sepultum. Nempe hoc iam olim Imperatoribus in votis fuit, vt vel ad Apostolorum ianuas, sepulturam acciperent. Ὅπερ εἰσι, inquit Chrysostomus, οἱ πυλωρὸι τοῖς βασιλεῦσιν ἐν τοῖς βασιλείοις, τοῦτο ἐν τῷ σήματι οἱ βασιλεῖς τοῖς ἁλιεῦσι. *Quod in Regiis sunt ianitores Regibus, hoc sunt in monumento piscatoribus Reges.*

Chrysost. Homil. 66. ad popul. Antioch. quæ est 26. in 2. ad Cor.

Hæc & similia Maiorum tuorum, Rex magne, Heroica pietatis facta in medium producerem, si hoc nunc ageretur. Satis sit modò, Personium, virum Societatis nostræ grauissimum, perfidiæ culpâ in suos Principes, & in Regiam tuã Maiestatem liberasse. Vel illę litteræ, quas ad Regiam tuam Maiestatem Personius olim dedit, quibus proditorem quemdam Romæ captum Regiæ tuæ Maiestati detexit, quo in Regem suum officio, quâ fide fuerit, luculentissimè testantur.

Florent. Wigor. in Chron. Chronicor.

Concludo hoc Eadgari elogio, pari in Regiam Maiestatem tuam voto: *Anglici orbis basileus, flos & decus antecessorum Regum, pacificus, non minùs memorabilis Anglis, quàm Romulus Romanis, Syrus Persis, Alexander Macedonibus, Arsaces Parthis, Carolus Magnus Francis.*

EPILO-

EPILOGVS
AD
ISAACVM CASAVBONVM.

HÆC *habui, Casaubone, quæ nunc in anteceſſum darem, donec Roma tibi ex aſſe perſoluat; ne diu faſtu turgidus incederes, ne velut alter Philiſthæus Domini exercitui improperares. Sed periiſti, vt audio, perijſti miſer & miſerabilis, ſubmerſus in aquis vehementibus. Quin tu Baronij, magni Joſue hæſiſti veſtigijs? quin tu Dei Arcam ſacerdotum humeris elatam, ipſam Dei Eccleſiam, ſecurè per Jordanis alueum, per ſæculi viam gradientem es proſecutus? fuiſſes tutus, ſacerdotum munitus præſidio; tranſiſſes ſecurus, Leuitarum tutatus ordine; ipſa Dei Arca omne arcuiſſet periculum.* Per ſacerdotes deducitur, *inquit Origenes*, populus: & iter agit ad terram repromiſſionis magiſterio ſacerdotum. Sacerdotalis ordo eſt & Leuiticus, qui iter

Origen. Homil 4. in Ioſue.

iter ostendit populo Dei, qui exijt de Ægypto. Ipsi enim sunt, qui edocent populum exire de Ægypto, de erroribus scilicet mundi; & transire per eremum vastam, id est, tentationum genera diuersa transcurrere, neque noceri à serpentibus dæmonum, qui sunt morsus dæmonum, & malarum suggestionum venena vitare. *Nunc verò homini hæretico, homini peccatori, homini Ægyptio allia cepasque, scientiarum acres sed fœtidas corruptelas sectanti, omnis creatura in hostem vertitur.* Mare rubrum, *inquit idem Origenes*, iustus tamquam per aridam transit: Ægyptius verò si transierit, submergetur; nec fiet ei aqua murus dextrâ læuaque. Iustus etiamsi eremum horribilem ingrediatur & vastam, cibus ei ministratur è cælis. Ita ergo & in Iordanem Arca testamenti duxerat populum Dei. Consistit ordo Sacerdotalis & Leuiticus, & aquæ velut reuerentiam quamdam Dei mysteriis referentes, cursum suum refrænant, & coacer-

Orig. ibid.

uantur

uantur in cumulum, iter Dei populo innoxium concedentes.

Vtinam Illmo Cardinali Perronio recta suadenti inhæsisses; vtinam de tuis potiùs scriptis corrigendis (quod amici suadebant) quàm alienis corripiendis consilium suscepisses: fecisses, quod Phœnix ille Criticorum facere non erubuit. Statim enim vt è Batauiâ pedem extulit, hæc ad Delrium nostrum (quam felicem Lipsij manum etiamnum seruo) ad exemplum eum D. Augustini
„ *inuitantem perscripsit: Pars subsequens* Lipsij epistol. ms. ad Delrium, anno 1591
„ *epistolæ tuæ aliquid habet de meis scriptis.*
„ *Quæ vtinam omnia nunc edenda, plusculum*
„ *in ijs alibi & prudentiæ esset & pietatis.*
„ Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, *& emen-* Iliad. π
„ *demus quantum licet futura. Imò illaipsa*
„ *quoque præterita: quæ reprehendere mihi*
„ *certum est, & ex Patrum ac tuo inter pri-*
„ *mos consilio refingere atque emendare. Amas*
„ *me? da hanc operam, adnota, elige, & tolle è*
„ *corpore illo, quantum potest, omnes næuos.*
„ *Ego edam, & velut de nouo, gignam. Per*
„ *me & sine vllo monitore facturus hoc*

eram

eram, quia ad culpas aut errores illos iam oculi mihi aperti. Vt ij, qui in vino & mensâ sunt, vim noxamque potus non sentiunt, nisi in lecto & post discessum: sic nos quid peccarimus in illo cœtu, quid locis temporibusque indultum nimis sit, seriò sentimus diuulsi.

O felicem iterumque felicem LIPSIVM! qui relictis Ægyptiorum castris, Sacerdotum se iunxit consortio, ad Arcam Dei se recepit, & inter Iordanis fluctus transiens illæsus ad Terram promissionis euasit. Felix iterumque felix, Lipsi, qui terrea hæc despexisti, vt ad ætherea peruenires; contempsisti præsentia, vt futura inquireres; calcasti peritura, vt æternùm manentibus fruereris. Non Regum gratiam, sæpiùs ab ijs inuitatus; non opes, quas de facili poteras; non famam, quam fumum ducebas, es aucupatus. Tu verò Casaubone, quia ab Arcâ te separasti, quia retrò respexisti, quia perituris inhæsisti, periisti miser.

Quibus ego nunc te verbis conueniam, adolescens litterate, amator Lipsij, Casauboni admi-

admirator? Ad LIPSIVM *te vocabo, ad* LIPSIVM *te ducam. Disce à* LIPSIO *non extolli, si probatum te in Humanitatis castris tironem præstare optas, si donatiuum exspectas. Ille non leuiori tantùm philologæ Humanitatis, sed grauiori Sapientiæ armaturâ instructus incedebat: non ferentarius tantùm, non rorarius; sed triariorum primipilus, imò magni exercitus Imperator. Et licet velut Romanus aliquis Consul omnes honoris fasces emeruisset; sicubi tamen illi Regina artium Theologia occurreret, statim ille fasces submittere, statim de viâ discedere.*

Memini, ante annos sedecim fuisse virum grauem hæreticâ labe aspersum, qui tanti iudicium Lipsij faciebat, vt ab eo consilium de fide, quam ille optimam iudicaret, amplectendâ petierit. Quid hîc LIPSIVS? *Illéne suo hîc iudicio stetit? Imò verò ad Ecclesiam illum Romanam, ad Ecclesiæ Doctores, quorum propria est de fide censura, ablegauit.*

Disce LIPSII *exemplo Modestiam am-*

plecti, quæ intra ſuos ſe fines continet, non alienos inuadit. Diſce pietatem humanioribus ſtudiis iungere, vt tutus incedas. Ferunt metallorum ſcrutatores, eum qui ad viui argenti fodinas exhauriendas pergit, munire ſe auri fruſto, quod in ſtomachum demiſſum, vi præſentiſſimâ omnes noxios fumos combibit, & ab humano corpore arcet. Splendet quidem argenti inſtar viui Humanitas, ſed vomica tamen tantùm eſt litteraturæ melioris, & inimicos odores exhalans. Auro igitur Pietatis te muni; & innoxius, LIPSII *inſtar, in Humanitatis fodinis verſaberis.*

Iterùm te compello, adoleſcens litterate: Si inter Critices abrupta, inter vani huius ſæculi pompam tutus incedere deſideras, ne fide perituris; Lipſium ducem ſequere, ad Lipſij te mores compone. ne ouo tuo ſcorpium timeas, ne ſpe tuâ excidas, ex Auguſtini præcepto viue: Vide, *inquit*, quia de caudâ percutit, quam retrò habet. Non ergo ſcorpius perimat ouum tuum, mundus iſte ſpem tuam, vt ita dicam, veneno

Aug. Ser. 29. de Verbis Dom.

nenc eò contrario, quò retrario. Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, vt retrò respicias? id est, vt in rebus præsentibus nec præsentibus (non enim dicenda sunt præsentia numquam stantia) spem tuam ponas; & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit, sed quia fidelis est, dabit, auertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte. Ideò enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quęratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax: & de ipsis amaritudinibus conatur mundus auertere ab eo quod intendis in anteriora, & retrò conuertere. Quid strepis ô munde? immunde quid strepis? quid auertere conaris? Tenere vis periens; quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? *Ergo sibi valeat, sibi mundus pereat; tu semper valituris, tu inhære numquam perituris.*

ΤΩι ΕΡΙΒΕΡΤΩι ΡΟΣΒΕΙΔΩι

τοῦ Καρδιναλίου Βαρονίου ὑπερασπιστῇ.

ΔΕΙΓΜΑ τὸ τῆς Σοφίης, βάσκουσά τε βιβλιοθήκη,
Γλῶσσαν ΡΟΣΒΕΙΔΗ μελιχόγηρυν ἔχων·
Ἐκ στόματος δροσερὸν σταλάεις μέλι, οἷα μέλισσα,
Οἷα μέλισσ' αὖθις κέντρον ἐφιέμενος.
Πλανσιάδην πλανόωντα, καὶ οὐκ ἔτεόν τι ἰδόντα,
Κερτομίῳ πλήττεις στίγματ' ἐτητυμίης.
Τὸν δὲ Κασαυβόνιον (κῦδος πειρῶντα ἀναίρειν
Ἀμφάδιον κόσμου) ἀνέρα ἀκέφαλον,
Ἐνθάδε ψεύδεα πόλλ' ἐτύμοισιν ὅμοια λέγοντα,
Εὐσεβέεσσι λόγοις δύσθεον ἄνδρα δαμᾷς.
Καὶ μὲν ἐφελκίζεις πάντας πανθελγέϊ φωνῇ,
Σεῖό γε πασσαμένους ἡδυεπῶν μελίτων.
Ἀλλὰ μέλισσάν τι, καὶ δὴ μέγα, καί σε διϊστᾷ.
Αὕτη ἅπαξ πλήξασ' ὠκὺν ἐπέσπε μόρον·
Σύ ῥα δὲ ἀντιδίκους νύξας καὶ πολλάκις ἐχθροὺς,
Θυμὸν ἐκεῖθ' ἕξεις μείζονα, κ' ἠνορέην.
Εὖθ' Ἁγίων βλέψοι ζωήν τε καὶ ἤθεα κόσμος,
Σκάνδαλον ἄνδρεσσιν τοῖς κακοδοξοτάτοις·
Δείδιθι, δείδιθ' ὅπως μὴ ὅλως ἀπόλοιο Κασαύβων,
Ῥωσβειδοῦ κρυερῷ νύγματι οὐτάμενος.

Γουιλίελμος Γράτιος Ε. Ι.

HERIBERTO ROSVVEYDO
Cardinalis Baronij vindici.

Tv Sophiæ ſpecimen, tu bibliotheca pererrans,
Roſ-weyde ô linguâ dulciſonante potens:
Ex ore inſtar apis deſtillas roſcida mella;
Inſtar apis rurſum, ſpicula ſæua vibras.
Errantis nuper Planci, nec vera loquentis,
Turpia veridico confodis ore probra.
Ecce Caſaubonius (cerebro qui tentat adempto
Conſpicuum mundi tollere ab orbe decus)
Dum falſa, & veri ſub imagine plurima profert,
Dogmatibus iugulas impia ſcripta ſacris.
Nec minùs intentos iterùm tibi pellicis omnes,
Sugunt è liquidis qui tua mella fauis.
Attamen inter apes, & te, diſcrimen vtrimq; eſt.
Emoritur vix dum ſpicula torſit apis:
Tu verò aduerſum crebrò iaculatus in hoſtem,
Maiores animos, roboraq; inde refers.
Mox vbi Sanctorum Faſtos conſpexerit orbis,
Scandalon inſanæ mentis aruſpicibus:
Tu caue ne penitus pereas à ſtirpe Caſaubon,
Roſ-Weydi fixo ſaucius à iaculo.

Guilielmus de Graet S. I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COMMISSA.

Pag. 87. *lin.* 24. ἀμορφίας *lege* δύμορφίας.
Pag. 91. *lin.* 4. dęmonis *lege* priſtinâ.

APPROBATIO.

RECTE actum contra R^mi Cardinalis Baronij aduerſarium, qui mendaciis & vanitatibus veritatem obſcurare, & Eccleſiam Dei ſuis peruerſitatibus confundere nititur. Quod teſtor XXVI. Iul. M.DC. XIV.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum eſt; nequis Librum cui titulus eſt, *Lex Talionis* XII. *Tabularum Cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dicta, retaliante Heriberto Roſ-weydo Vltraiectino Societatis* IESV *Theologo*, præter voluntatem Martinæ Plantinæ viduæ & Balthaſaris & Ioannis filiorum Io. Moreti p. m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi impreſſum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, I. Auguſti, M. DC. XIV.

Signat.

Steenhuyſe.

219 [illegible] Apostolor

214 de Concilijs et Imperatore

222. de Isaaco Casaubono [illegible]

222. de [illegible] quis fuerit.

Th
1370